Vtriusque Epistolæ

DIVI PETRI APOSTOLI

EXPLICATIO ANALYTICA,
Documentis suis ubique illustrata, & Usibus ad singularem Pietatis profectum applicata:

Nec non

III. Conciones in selectiora quædam S. Scripturæ loca:

AUTHORE

Clarissimo ac Reverendissimo viro,

Dn. GUILIELMO AMESIO, SS. Theologiæ D. ac in illustri Academia Frisiorum nuper Professore Ordinario.

LONDINI,
Excudebat *F. D.* impensis *Andreæ Kembe*, 1647.

GUILIELMI AMESII

EXPLICATIO ANALYTICA IN D. PETRI APOSTOLI Priorem Epistolam Catholicam.

CAPUT I.

Versus 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi, advenis dispersionis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam :*

2. *Electis ex præcognitione Dei Patris ad sanctificationem spiritus, per obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi gratia vobis & pax multiplicetur.*

ANALYSIS.

SCopus Epistolæ est adhortari fideles ut stabiles permaneant in gratia illa Dei, in quâ stabant, sicut indicatur expresse capitis 5. versic. 12. Quia autem gratia illa Dei duplici modo consideratur ; vel ut constituit hominem in statu gratiæ, atque sic æque spectat ad omnes fideles : vel prout dirigit fideles in officiis suis, erga alios præstandis, secundum specialem illam conditionem in qua collocantur : idcirco primo in loco hortatur Apostolus ad gratiam illam retinendam & excolendam, quia pertinet ad statum hominis regeniti : ab initio Epistolæ ad vers. 13. cap. 2. deinde specialem gratiam commendat ac suadet, quæ primò Subditos dirigit in obedientia erga magistratus, ad 18. v. Servos in obedientia erga dominos ad finem capitis ; Uxores in subjectione erga maritos, ab initio cap. 3. ad v. 7. Viros in officio erga suas uxores ; Fratres in officio erga suos fratres, v. 8. Afflictos erga suos persecutores, à v. 9. ad initium cap. 5. Presbyteros erga suas Ecclesias, ab initio cap. 5. ad vers. 5. Juniores erga Seniores, v. 5. initio ; omnes denique erga alios & erga semetipsos, ad vers. 10. Ubi tota præcedens exhortatio convertitur in precationem brevem, quæ vim habet conclusionis cujusdam efficacis Epistolæ totius. Ad Epistolam ipsam accedunt 2. communia adjuncta : *Inscriptio* v. 1. & 2. *Subscriptio* tribus ultimis. In *Inscriptione* continetur pro more Epistolarum *Salutatio* sancta, ostendens primò à quo fuerit hæc Epistola

ſcripta, 2. ad quos, 3. quo animo aut affectu fuerit ad illos exorata; quod indicatur, ut ſolet, pio illo voto, quo maxima bona illis optantur, *Gratia & Pax*. In Perſona ſcribente & optato bono, ſunt omnia eadem bona cum iis, quæ in Epiſt. 2. habentur. Deſcriptio eorum ad quos ſcribebatur, aliquanto plenior eſt hic quam ibi: Deſcribuntur autem 1. ab æterno ſuo ſtatu *advenæ, diſperſi per Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam*, 2. ab interno ſtatu ſpirituali, qui explicatur 1. per cauſam ejus, *Electionem* ſcil. Dei, 2. per cauſam finalem, *ſanctificationem*, 3. per cauſam mediam vel adminiſtrantem; *Reconciliationem*, nempe *in obedientia & aſperſione ſanguinis Jeſu Chriſti collatam*: quæ tres cauſæ ſalutis noſtræ illuſtrantur per tres perſonas divinas, quibus ut auctoribus diſtinctè aſcribuntur, Deo Patri Electio, Spiritui Sancto Sanctificatio, Reconciliatio Jeſu Chriſto. Per advenas diſperſos quibus præcpue inſcribitur hæc Epiſtola, intelligendi ſunt Judæi cum aliis Iſraelitis qui fidem amplectebantur. Jacobus enim, Johannes & Petrus Apoſtolatu fungebantur apud circumciſos Iſraelitas, Gal. 2. 8, 9, ſicut ergo Iacobus Epiſtolam ſuam inſcribit expreſſe duodecem tribubus diſperſis, ſic etiam hic eadem ratione per diſperſos advenas intelligendæ ſunt duodecem Tribus diſperſæ, quæ eadem ratio cum locum habeat in Apoſtolatu & ſcriptione Iohannis, lucem affert illi deſcriptioni quam ille facit, cap. 2. v. 2. inter eos ad quos ſcribit vid. totum mundum, intelligantur gentes. Per præcognitionem Dei, ex quâ dicuntur fideles hic *electi*, intelligere debemus electionem ipſam prout eſt in Deo, Rom. 8. 29. & per electionem eundem Dei actum prout in fidelibus terminatur, & per vocationem efficacem executioni mandatur.

Per *Sanctificationem Spiritus* intelligitur tota commutatio ſpiritualis ſtatus noſtri ad perfectam uſque ſanctitatem & gloriam: quia ſanctificatio eſt medium ſalutis ad quam elgimur, 2 Theſ. 2. 13.

Per *Obedientiam & aſperſionem ſanguinis Chriſti* intelligitur totum opus Redemptionis, una cum ejus applicatione ad juſtificationem & reconciliationem cum Deo, Eph. 1. 6, 7.

Documenta.

DOCUM. I. *Principium & fons omnis felicitatis & conſolationis noſtræ collocatur in eo quod ſumus electi Dei.*

Colligitur inde quod Apoſtolus cum illa voluit in hac deſcriptione commemorare, quæ maxime pertinebant ad conſolationem fidelium, primum locum tribuit electioni, 1 Theſ. 1. 4.

Ratio 1. Quia omnis felicitas omnino provenit à Deo, qui auctor & fons eſt omnium bonorum: provenit autem ab ipſo non per modum naturæ, ſed conſilii & liberæ electionis, atque adeo provenit ab ipſa electione.

2. Quia omnes benedictiones ejus ſpeciales, quæ pertinent ad noſtram ſalutem, pendent ab Electione, Eph. 1. 3, 4.

Uſus Exhortationis, ut omni collato ſtudio Electionem noſtram certam & firmam efficiamus, 2 Pet. 1. 10.

DOCU-

DOCUM. II. *Nulla eſt alia cauſa aut ratio Electionis noſtræ ad ſalutem præter beneplacitum ipſius Dei.*

Colligitur ex illis verbis: *Electis ex præcognitione Dei:* Si enim cauſa aliqua fuiſſet extra Deum, in oculos aut ſenſus hominis aliquo modo incurrens, magis conſentaneum erat, ut Apoſtolus illam nominaſſet; tanquam magis notam aut perceptibilem, atque adeo ad conſolationem & congratulationem illam, quam habuit ſibi præpoſitam, magis propriè pertinentem.

Ratio 1. Quia Dei conſilia & decreta non pendent ex iis quæ ſunt extra Deum, ſed illa pendent ex Dei decretis: decreta enim priora ſunt, illa poſteriora.

II. Quia alioqui tota gloria Electionis, & ſalutis noſtræ, in ſolidum aſcribi Deo non poſſet, atque adeo omnis laus, & gratiarum actio non ipſi ſoli deberetur.

III. Quia ſi electio noſtra penderet ex nobis, qui ſumus infirmi & mutabiles in horas, ipſa etiam electio eſſet mutabilis & incerta, atque adeo nullam firmam nobis conſolationem adderet.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus eos qui electionem Dei ſuſpendunt ex fide & perſeverantiâ noſtrâ tanquam ex cauſa vel conditione requiſita.

II. *Exhortationis*, ut ſummam illam gratiam Dei erga nos agnoſcentes, & tam interno noſtri cordis affectu, quam verborum læta profeſſione & vita etiam congruente, totam hujus rei, laudem & gloriam ipſi tribuamus.

DOCUM. III. *Vera ſanctificatio eſt certus fructus Electionis.*

Colligitur ex illis verbis: *Electi ad ſanctificationem*, Eph. 1. 4.

Ratio 1. Quia ſanctificatio eſt certum effectum & ſignum ſingularis cujuſdam dilectionis Dei Chriſti. Epheſ. 5. 25, 26. Hæc autem ſingularis dilectio, quæ reſpicit ſpirituales benedictiones, nihil differt ab Electione quoad rem ipſam.

II. Quia ſanctificatio eſt quaſi actualis electio: ſicut enim per Electionem Dei, ſalutis hæredes ab aliis diſcernuntur in ipſo Deo, vel ejus intentione & conſilio: ſic etiam per regenerationem & ſanctificationem ſeparantur ab aliis in ſemetipſis. Nam ſanctificare generali vocis ſignificatione, eſt ſeparare ad aliquem uſum.

III. Quia ſanctificatio, quamvis ſit imperfecta, tamen eſt inchoata, illa ſalus & vita ad quam eligimur.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus eos homines qui ſanctificationem communem faciunt poſſeſſionem illorum hominum qui non ſunt Electi.

Uſus 2. *Conſolationis*, erga omnes qui participes ſunt veræ ſanctificationis: quia inde certiores fieri poſſunt de ſua electione.

3. *Exhortationis*, ut omnem curam adhibeamus in ſanctificatione noſtra promovenda.

DOCUM. IV. *Unicum illud medium quo Electionis vis in nos derivatur, ſanctificatio & ſalus noſtra propagatur, eſt mediatio Chriſti, & reconciliatio nobis in ipſo facta.*

Colligitur ex illis verbis: *per obedientiam & aſperſionem.*

Ratio 1. Quia Deus Chriſtum conſtituit mediatorem, neque aliud nomen eſt ſub Cœlo, per quod

poſſit eſſe ſalus.

II. Quia Deus conſtituit eum mediatorem redemptionis noſtræ virtute ſuæ electionis : quos enim Deus elegit, illos dedit Chriſto redimendos & ſalvandos, Ioan. 17. 6. Joh. 6. 37.

III. Quia Chriſtus eſt ſecundus Adam, Pater, Caput omnium Electorum & Salvandorum : ſicut igitur vita naturalis in omnes homines fuit derivata, primo ab Adamo, ſic etiam a Chriſto, & in eo vita omnis ſpiritualis nobis communicatur.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus Pontificios, & alios qui media & mediatores ſibi elegerunt extra Chriſtum, atq; receſſerunt à via illa ſalutis, quam æterna Dei electio præſcripſit.

2. *Exhortationis*, ut totam noſtram fiduciam ponamus in Chriſto ſolo, & ſemper arctiorem indies unionem cum ipſo quæramus.

Docum. V. *In iſta catena ſalutis noſtræ principium eſt à Deo Patre, diſpenſatio per filium ejus Jeſum Chriſtum, applicatio per Spiritum Sanctum.*

Indicatur hoc ſolenni illa benedictione quam ab Apoſtolo Eccleſia accepit.

Ratio. Quia ordo iſte operandi maxime convenit ordini ſubſiſtendi, quem Scriptura tribuit perſonis divinis.

Uſus 1. *Admonitionis*, ne operationes iſtas quas conjunxit Deus, nos ullo modo ſeparemus : hoc autem faciunt, qui Chriſtum ſeparant ab Electione, aut Electionem à Chriſto, aut Electionem Patris & Chriſti à ſanctificatione Spiritus Sancti, dum ſibimet ſalutem pollicentur, vel ex Electionis, vel ex Chriſti virtute, quamvis plane alieni ſint à Spiritus ſanctificatione.

2. *Conſolationis*, erga veros fideles qui iſta conjungunt : quia nihil poſſunt ad ſalutem deſiderare, quod non abunde habent ſibi paratum, in iſta cooperatione Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Verſ. 3, 4, 5.

Benedictus eſto *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ex multâ ſuâ miſericordiâ regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.*

Id eſt, *ad hæreditatem quæ nec corrumpi poteſt, nec contaminari, nec marceſcere, vobis in cœlis ſervatam.*

Qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tempore ultimo.

ANALYSIS.

IN generali & prima parte hujus Epiſtolæ, quia ſcopus Apoſtoli fuit commendare fidelibus veram illam gratiam Dei in qua ſtabant, idcirco gratiam illam primo deſcribit, verſ. 3, 4, 5. 2. Ab effectu, *gaudio*, ſcil. & *exultatione*, quæ ex hujus gratiæ participatione in omnes fideles redundat, à v. 6. ad 10. 3. Illuſtrat ſimul & confirmat à teſti-

teſtimonio illo quid huic gratiæ præbuerunt Prophetæ, v. 10, 11, 12. 4. Exhortationem inde deducit ad ſanctitatem hujus gratiæ congruentem à v. 13. ad finem cap. 1. Cujus ſanctitatis medium oſtenditur eſſe Verbi Dei religioſam receptionem. Cujus Verbi præcipuum objectum Chriſtum eodem etiam facere declarat à v. 4. ad 13. ubi eſt finis generalis hujus inſtitutionis.

Deſcriptio v. 3, 4, 5. ſtatus hujus gratiæ collocatur in regeneratione aut vocatione efficaci, illis verbis: *regenuit nos*: quæ regeneratio deſcribitur 1. A cauſa ejus efficiente principali, quæ ſtatuitur eſſe *Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 2. A cauſa ejus impulſiva, *miſericordia Dei*, quæ a quantitate ſua deſcribitur *multa.* 3. Ab effecto ejus immediato *ſpe viva*: Cujus etiam cauſa ſingularis indicatur eſſe *reſurrectio Chriſti ex mortuis.* 4. Ab effecto remoto & ultimo, quod ab illa ſpe apprehenditur etiam, & aliquo modo poſſidetur: quod eſt *ſalus & vita immortalis*, v. 4. Cujus effecti certam connexionem cum ſua cauſa intercedere affirmat, cum dicit: *hæreditatem iſtam eſſe regenitis omnibus in cœlis ſervatam:* & rationem certiſſimam hujus connexionis declarat, v. 5. tribus in rebus conſiſtere: 1. Potentia Dei regenitos cuſtodiente ad ſalutem. 2. Eorum fide, qua adhærent huic potentiæ Dei. 3. In æterno Dei decreto, quo & ſalutem iſtam regenitis omnibus præparavit, & certam etiam tempus ipſis conſtituit ejus communicandæ.

Hæc autem deſcriptio gratiæ divinæ non ſimpliciter, & nude proponitur ab Apoſtolo, ſed eo modo qui rei naturæ congruit, id eſt, cum gratiarum actione & glorificatione nominis Dei, quo dignatus eſt tantam gratiam miſeris peccatoribus communicare, primo illo verbo: *Benedictus eſto Deus.*

Documenta.

Docum. I. *Status gratiæ pendet & fluit ex efficaci vocatione.*

Colligitur inde, quod verba faciens de gratia, in qua ſtabant fideles, incipit à regeneratione, per quam intelligitur vocatio efficax.

Ratio 1. Quia per veram vocationem unionem habemus cum Chriſto omnis gratiæ fonte.

II. Quia in iſta regeneratione ingeneratur nobis principium vitæ ſpiritualis, quod nihil aliud eſt quam gratia Dei, vel vis & donum gratiæ animos noſtros vivificantis.

III. Quia ex hac unione quam habemus ex vitæ ſpiritualis participatione, certo & immediate conſequitur communio cum Patre in omni ſpirituali benedictione, atque adeo commutatio ſtatus noſtri ab eo qui ante fuit (peccati & mortis) in illum ad quem vocamur, gratiæ ac vitæ.

Uſus 1. *Exhortationis*, ut vocationem noſtram certam reddere ſtudeamus, quia ſine ea nullum aditum habemus ad ſtatum gratiæ.

II. *Conſolationis*, erga eos qui parere ſtudent vocationi divinæ, illi enim omnes quaſi januam gratiæ Dei ſibi habent apertam.

Docum. II. *Deus nos regenerat ut Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Ratio 1. Quia in Chriſto redemptore noſtro, & in redemptione per ipſum præſtita, poſuit funda-

mentum totius noſtræ reſtitutionis ad ſalutem.

II. Quia Chriſtum conſtituit magnum iſtum paſtorem, qui oves, id eſt, electos colligeret in ſuum ovile, per efficacem vocationem & regenerationem, Heb. 13. 20. Ioh. 10. 16.

III. Quia per Chriſtum & nomen ejus vocantur homines à Deo & regenerantur, 1 Cor. 5. 18, 19, 20.

Uſus Informationis, quod Deum in Chriſto debemus ſemper contemplari in omnibus iis quæ pertinent ad noſtram ſalutem, atque adeo Deum in Chriſto ſemper invocare & laudare. Solemnis titulus & quaſi ſtylus Dei in nominis ejus celebratione adhibitus, non ſemper unus & idem fuit ab initio mundi, ſed alius atque alius : primo vocabatur à Melchiſedec, *Deus fortis & excelſus poſſeſſor cœli & terræ*, Gen. 14. 19. Poſtea propter ſingulare fœdus initum cum Abrahamo & ejus poſteris celebrari *Deus Abrahami, Iſaaci & Iacobi* cœpit : deinde poſt mirificam illam populi ſui liberationem, ex Ægypto ad illius rei memoriam accedebat ad ſtylum ejus, *Deus qui eduxit Iſraelem ex terra Ægypti domo ſervitutis* : ſic etiam apud Prophetam poſt liberationem è captivitate Babylonica, *Deus qui eduxit populum ſuum ab Aquilone*, Jer. 15. 14. & 23. 7, 8. Jam autem ſub Novo Teſtamento ſoleque exorto, cæteris omnibus operibus & beneficiis per adventum Chriſti obſcuratis, hic titulus eſt maxime congruens & ſolemnis, *Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*, 2 Cor. 1. 3. Eph. 1. 3.

Docum. III. *Maxima Dei miſericordia in noſtra regeneratione eluceat.*

Ratio 1. Quia à maxima miſeria nos liberat, & ad participationem maximi boni deducit.

2. Quia ex ſua mera bonitate hoc facit, non tantum ſine meritis noſtris, ſed etiam contra merita noſtra : cum nos ne quærebamus aut optavimus nobis ejuſmodi beneficia, ſed alieni plane fuimus à Deo & ejus inimici.

Uſus 1. *Exhortationis*, ut omnia tribuamus ſoli miſericordiæ Dei, & animos noſtros excitemus ad illius admirationem.

2. Ut miſerationibus iſtis Dei in noſtris cordibus afficiamur & promoveamur ad ipſum glorificandum, Rom. 12. 1.

Docum. IV. *Regeneratio adfert hominibus ſpem vivam æternæ vitæ.*

Ratio 1. Quia vocamur & regeneramur ad ſalutem & gloriam æternam, 1 Pet. 5. 10.

2. Quia promiſſionem & fœdus hujus rei confirmatam habemus in ipſa vocatione.

3. Quia Spiritus quo vivificamur attollit animos noſtros, & ſpem ipſam facit eſſe vivam.

Uſus Exhortationis, ut maximi faciamus vocationem & regenerationem noſtram, 11. ut fovere hanc ſpem omnibus modis & alere in nobismetipſis ſtudeamus, curantes etiam, ut non ſit mortua aut languida, ſed viva, vigeta, operoſa.

Docum. V. *Spei noſtræ veracitas pendet ex Reſurrectione Ieſu Chriſti à mortuis.*

Ratio 1. Quia per reſurrectionem Chriſti apparet mortem ab ipſo eſſe ſubactam, ſuperatam, & Deum in ipſo eſſe placatum : alias enim à morte oppreſſus perpetuo fuiſſet retentius.

2. Quia

2. Quia ſuſcitatus eſt Chriſtus, ut primitiæ omnium regeneratorum 1 Cor. 15. 20. & primogenitus ex mortuis, Coloſ. 1. 18. Apoc. 1. 5.

Uſus Exhortationis, ut ad ſpem noſtram confirmandam & vivificandam geſtemus in oculis reſurrectionem Chriſti.

Docum. VI. *Salus illa quam ſperamus & hæreditas cæleſtis, eſt immortalis*, v. 4.

Ratio 1. Deſcendit à Deo Patre noſtro ad nos filios ejus regenitos & adoptatos: ſicut hæreditates mundanæ ſolent à parentibus ad liberos deſcendere.

2. Quia non emptione aut ſimili aliqua acquiſitione noſtra paratur, ſed ex voluntate & teſtamento Patris noſtri cæleſtis: ſicut autem ob iſtas rationes recte vocatur hæreditas, ſic etiam ex naturâ ſuâ habet præſtantiam ſupra cæteras omnes hæreditates, ut ſit cœleſtis & immortalis: qua in re non mundanas tantum poſſeſſiones excellit, ſed illam ipſam conditionem vitæ quam habuit Adam ante lapſum.

Uſus 1. *Admonitionis*, ne corda noſtra ſinamus unquam adhærere rebus iſtis mundanis, aut ex illis pendeamus, quia hæreditas noſtra non eſt terreſtris aut mundana, ſed cœleſtis & immortalis.

2. *Exhortationis*, ut ambulemus ſicut convenit iis qui ſunt ad tantam hæreditatem vocati. Hoc enim eſt quod vult Apoſtolus dum admonere ſolet, ut ambulemus ſecundum noſtram vocationem, & cum precatur ut Deus illuminatis oculis mentis noſtræ det nobis ſcire, quæ ſit ſpes illa vocationis, & quæ opes, Epheſ. 1. 18. quaſi illi qui hoc habent perſpectum & meditatum non poſſint in ullo officio deficere aut ceſſare.

Docum. VII. *Supereminens Dei potentia, fidelitas & conſtantia firmam certamque nobis reddit iſtam hæreditatem.*

Colligitur ex v. 5. Eph. 1. 19.

Ratio 1. Quia Deus potenter exſequitur omnia quæ decrevit & promiſit.

2. Quia totum illud negotium ſalutis noſtræ pendet ex omnipotentia Dei: hoſtes enim ſalutis noſtræ, & difficultates ejus tantæ ſunt, ut nullâ aliâ virtute poſſint ſuperarari.

Uſus 1. *Refutationis*, eorum qui ſalutem noſtram ſuſpenſam eſſe volunt ex arbitrii noſtri fragilitate: negant Deum potenter in nobis operari ad ſalutem, cum tamen expreſſe hoc affirmatur in Scripturâ, Eph. 1. 19. & 3. 16. 20.

2. *Conſolationis*, cum enim habemus omnipotentem noſtrum cuſtodem, non eſt quod metuamus, ne quicquam præſens aut futurum unquam ſpem noſtram inanem reddat, aut nos expectata ſalute privet.

3. *Exhortationis*, ut pendeamus ex iſta potentia Dei per veram fidem, ſicut eſt in textu.

Docum. VIII. *Spirituales iſtæ benedictiones Dei non debent à nobis unquam commemorari vel in cogitatione verſari, ſine pio affectu Deo propter illas benedicendi.*

Colligitur ex illo verbo: *benedictus*, Epheſ. 1. 3, 2. 2 Cor. 1. 3.

Uſus Increpationis, adverſus torporem & tepiditatem noſtram, quæ ſæpe tanta eſt, ut non aliter afficiamur cum de rebus iſtis loquimur, audimus aut cogitamus, quam in rebus vulgaribus tractandis: imo

vix

vix ita commovemur, ut tum ſolemus cum mentio fit alicujus commodi mundani quod nobis eſt cordi.

Verſ. 6, 7, 8, 9.

Qua in re exſultatis, ad exiguum tempus *nunc (ſi oportet) in variis tentationibus triſtitia affecti :*

Ut exploratio fidei veſtræ multo pretioſior exploratione *auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, inveniatur* vobis eſſe *laudi & honori & gloriæ, quum revelabitur Ieſus Chriſtus.*

Quem quum non videritis, diligitis, in quem, nunc cum *non videntes, tamen credentes, exſultatis gaudio ineffabili & glorioſo :*

Reportantes mercedem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

ANALYSIS.

GRatia hic illuſtratur per ejus effectum, & ad unctum, quod in maximo gaudio collocat, illis verbis : *quâ in re exultatis.* Hoc autem gaudium amplificatur à diverſis afflictionibus & tentationibus illis, quæ triſtitiam potius, quam gaudium hominibus afferre ſolent, reliqua parte v. 6. ubi amplificatio per diſcretum axioma ſic eſt concipienda. Quamvis variis afflictionibus & tentationibus ad triſtitiam uſque eſtis gravati, tanta tamen eſt præſtantia hujus gratiæ, in qua ſtatis, ut afflictiones iſtæ non ſint vobis impedimento : quia de iſta gratia cum magno gaudio exultatis. Quod autem afflictiones non debent fidelibus eripere gaudium ſuum ſpirituale, oſtenditur : 1. Ex naturâ illarum afflictionum quibus fideles urgeri ſolent. 2. Ex natura illius gratiæ, quæ ſpirituale producit gaudium. Afflictionum igitur triſtitia minuitur : Ab adjuncto durationis, quod ſint *ad exiguum tempus.* 2. Ab adjuncto commodo, quod utilitatem & fructum afferunt, & alia ratione non accidunt, illis verbis : *ſi oportet.* 3. A ſingulari fine & uſu afflictionum, quo etiam earum utilitas demonſtratur, quod ſcilicet faciunt ad explorationem fidei, quæ exploratio fidei illuſtratur per collationem ſimilis & minoris *exploratonis auri.* 2. Ab ejus effecto, quod eſt *laus, honor & gloria in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Gratiæ autem natura talis eſſe oſtenditur, ut omnes afflictiones poſſit ſuperare cujus rei ratio in eo ponitur quod conjungit nos Chriſto ſine ope aut opera ſenſuum externorum, atque adeo contra & ſupra ſenſum attollit animum ad ſummum gaudium v. 8. cujus gaudii exponuntur : 1. Adjuncta, *ineffabile & glorioſum,* & poſtea cauſa vel argumentum movens, ſeu excitans ejuſmodi gaudium in fidelibus, quod nempe per ſuam fidem certiores fiant de *ſalute animarum* ſuarum : quæ finis eſt & ſcopus, v. 9.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Gaudium & exultatio ſpiritualis*

ſpiritualis oritur ex ſenſu & participatione gratiæ ſpiritualis.

Colligitur ex illis verbis : *quâ in re exultatis.* Exultatio enim eſt actus gaudii vehemens, ut indicatur in fine octavi.

Ratio 1. Quia in natura gaudii eſt, ut oblectet ſeſe animus in poſſeſſione ſolidi alicujus boni : nullum autem eſt bonum quod comparari poſſit, cum ſummo bono & felicitate æterna : hujus autem beatitudinis poſſeſſio inchoata acquiritur in poſſeſſione gratiæ ſalutaris : & ejuſdem completa poſſeſſio apprehenditur, & certa redditur per fidem & ſpem : atque hinc eſt quod ſpei fructus ſit proprie gaudium ſpirituale, Heb. 3. 6. Roman. 5. 2. Hoc tamen ſic intelligendum eſt, ut non omnes illos excludamus à ſtatu gratiæ, qui non afficiuntur aliquando iſtiuſmodi gaudio : quia gaudium illud pendet ex ſenſu gratiæ : ſenſus autem gratiæ abeſt aliquando ab iis qui vel ignorantia impediuntur, vel tentationibus gravioribus, quo minus ſentiant illud quod habent.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus carnales illos homines, qui praxin Religionis rem triſtem eſſe autumant, & ab omni lætitia, & delectatione alienam, cum vera illorum lætitia nihil aliud ſit quam inſania, Eccleſ. 2. 3. & commutatur tandem in ſummam mœrorem : ſed verum & ſolidum gaudium eſt priviligium omnium piorum, quia illi ſoli veram cauſam habent gaudii, & gaudium illud nunquam ab ipſis auferetur.

2. *Exhortationis*, ut excitemus animos noſtros ad exercitium hujus gaudii : eo enim vocamur ut ſemper gaudeamus in Domino, Phil. 4. 4. Exemplum habemus in Eunucho qui cum gaudio in via ſua perrexit, poſtquam per baptiſmum certior factus eſt gratiæ Dei, Actor. 8. 39.

Docum. II. *Cum iſto gaudio bene conveniunt & conſiſtere poſſunt afflictiones variæ.*

Ratio 1. Quia quamvis afflictiones triſtitiam aliquam nobis afferant, illa tamen triſtitia non eſt in gradu ſummo, ut animos noſtros penitus opprimeret & occuparet, ſed mitigatur & ſuperatur à gaudio ſpirituali.

2. Quia ipſæ afflictiones convertuntur in materiam gaudendi, Iac. 1. 2. Rom. 5. 3.

Uſus Admonitionis, ne adeo metuamus nobis ab afflictionibus hujus mundi; nec unquam iſtis ita ſuccumbamus, ut gaudium noſtrum abjiciamus.

Docum. III. *Afflictiones convertuntur in materiam gaudendi, cum ita recipiuntur, ut per illas fides & omnis gratia excitetur & promoveatur.*

Colligitur ex v. 7.

Ratio 1. Quia magnum lucrum facimus per hanc probationem fidei noſtræ, multo magis quam poſſit ex auri probatione parari, ut eſt in textu.

2. Quia fides ex hac exploratione per afflictiones fortior evadens, firmius expectat laudem, honorem & gloriam in Chriſto, ut in textu.

Uſus Admonitionis, ut primaria noſtra cura ſit in omnibus afflictionibus in fide, & omni gratia non deficere, ut temporariæ fidei homines ſolent, ſed proficere.

Docum. IV. *Gaudium illud non pendet ex viſione aut ex ſpectabili*

ſtabili præſentia CHRISTI.

Colligitur ex v. 8.

Ratio 1. Quia fides & ſpes eſt propriè eorum quæ non cernuntur, Rom. 8. 24. Heb. 11. 1. hoc autem gaudium ex fide & ſpe exurgit, ut eſt in textu.

2. Quia gaudemus ex poſſeſſione vel ex certitudine poſſeſſionis rei dilectæ. Chriſtum autem cum nondum viderimus, diligimus, ut in textu eſt.

Uſus Exhortationis, ut dum iſthic ſumus ex fide ambulemus, gaudeamus & vivamus, ac ſi Chriſtum ipſum oculis cerneremus: beati ſunt enim omnes qui non viderunt & crediderunt, Johan. 20. 29.

Docum. V. *Gaudium iſtud eſt ineffabile, & glorioſum.*

Ratio. Quia & res ipſa de quâ gaudemus, & operatio Spiritus in animis noſtris ad illam rem attollendis eſt magis divina, quam ut à nobis poſſit concipi nedum explicari.

Uſus 1. *Admonitionis*, ne nimis curioſi ſimus in iſtis rebus indagandis & enarrandis quæ ſunt innerrabiles.

2. *Exhortationis*, ut ad ſenſum & exercitium hujus gratiæ applicemus animos noſtros: quia divinam & glorioſam habent naturam.

Docum. VI. *Per iſtud gaudium incipimus expectare finem fidei noſtræ, ſalutem animarum.*

Ratio. Quia gaudium hoc ſpirituale, eſt glorioſum initium gloriæ noſtræ, atque adeo Chriſti ſalutis.

Uſus Exhortationis, ut maximi igitur faciamus gaudium iſtud ſpirituale, atque omni modo in nobis ipſis excitare, fovere & commovere ſtudeamus.

Verſ. 10, 11, 12.

De qua ſalute exquiſierunt, & quam ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de ventura in vos gratia Prophetarunt.

Scrutantes in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille, qui in ipſis erat, Spiritus Chriſti declararet eventuras *Chriſto perpeſſiones & gloriam illas conſequuturam.*

Quibus revelatum eſt, eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare, quæ nunc annunciata ſunt vobis per eos qui vobis evangelizarunt per emiſſum è cælo Spiritum ſanctum, in quæ cupiunt Angeli introſpicere.

ANALYSIS.

AD gratiam & ſalutem, de qua hactenus actum eſt, confirmandam & illuſtrandam adducitur his verſibus teſtimonium Prophetarum: quod explicatur ab ejus Objecto principali, quod nihil eſt aliud quam hæc ipſa ſalus & gratia, in qua ſtant jam Chriſtiani fideles, illis verbis: *de qua ſalute ventura in nos prophetarunt.* 2. Per modum illum quo circa objectum illud verſabantur. Fecerunt enim hoc cum magna cura & attentione diligenti, illis verbis: *exquiſierunt & ſcrutati ſunt.* 3. Per ſingularem deſcriptionem illius objecti circa quid verſabantur, v. 11. & modi ipſius quo verſabantur. Objectum enim ſalus

&

& gratia ante nominata deſcribitur per ſuam cauſam procreantem & efficientem, Mediationem nempe Chriſti duabus partibus conſtantem Humiliatione & Exaltatione, in fine verſ. Modus autem quo circa iſtam ſalutis noſtræ cauſam verſati fuiſſe dicuntur Prophetæ, in duobus conſtabat : . Quod non tantum rem ipſam, ſed etiam temporis momentum quo patefieret cognoſcere deſiderarent, illis verbis : *in quem aut qualem temporis articulum.* 2. Quod non pendebat ex variis & incertis conjecturis, ſed Spiritum Chriſti, qui in ipſis fuit præſens, ut omnium rerum præſcium & prænuncium religioſe conſulebant, illis verbis : *prænuncius ille qui in ipſis erat Spiritus Chriſti declararet.*

4. Teſtimonium ipſum Prophetarum proponitur, v. 12. quo nempe iſta gratia & ſalus ipſo tempore fuit manifeſtanda, quo apparuit ; & non alio: Quod etiam teſtimonium propheticum illuſtratur ſimilibus teſtimoniis Apoſtolorum & Angelorum. Apoſtolorum autem ſimilitudo cum Prophetis in eo oſtenditur : quod ſicut illi prophetabant de iſtis rebus per prænuncium, qui in ipſis erat, Spiritum Chriſti ; ſic Apoſtoli eadem enunciabant *per emiſſum è cælo Spiritum ſanctum.* Angelorum etiam ſimilitudo cum iiſdem indicatur ex eo: quod ſicut Prophetæ de iſta ſalute exquiſiverunt, & ſcrutati ſunt ; ſic etiam in eandem cupiebant introſpicere; quæ omnia & ſingula faciunt maxime ad gratiam iſtam extollendam.

Documenta.

Docum. I. *Prophetæ veri omnes qui fuerint ab initio mundi prophetarunt, præcipue de gratia & ſalute ventura, per Jeſum Chriſtum Dominum ac Servatorem noſtrum.*

Colligitur ex v. 10. Actor. 3. 18, 20. & 7. 22.

Ratio 1. Quia ſalus Eccleſiæ per omnia ſecula pendebat à Chriſto : Prophetarum autem officium fuit, dirigere Eccleſiam in ſalute quærenda.

2. Prophetæ omnes fuerunt miniſtri Chriſti, & Spiritu ejus agebantur v. 11. atque adeo quærere debuerunt ipſius honorem.

3. Quia iſta ratione præparandi erant animi hominum gradatim ad Chriſtum advenientem recipiendum, quod enim dicitur de Iohanne Baptiſta aliquo modo pertinet ad Prophetas omnes, quod præpararent vias Dei.

Uſus 1. *Informationis*, ad veram fidem confirmandam & ſtabiliendam, non tantum adverſus Gentiles & Judæos, ſed etiam adverſus ipſos pontificios, qui illam veram doctrinam de gratia in Jeſu Chriſto revelata novam eſſe clamitant, & ante hoc ſeculum inauditam; nullam enim aliam gratiam profitemur, præter illam quam iſti Prophetæ ab initio mundi perpetuo prophetarunt.

2. *Exhortationis*, ut nos hanc eandem gratiam & animis perpetuo volvamus, & aliis ex occaſione prædicemus, cum omni libertate & promptitudine animi : hoc enim multo magis nos decet quam illos, qui tanto intervallo abfuerunt ab

adventu

adventu Christi, eumque a longo tantum aspexerunt.

Docum. II. *Non tantum prophetarunt de ista gratia veteres illi Prophetæ, sed etiam in illam maxime inquisiverunt & scrutati sunt.*

Colligitur ex iisdem verbis.

Ratio 1. Quia videbatur illis, sicut re vera est, maximum mysterium pietatis, 1 Tim. 3, 16. atque ad eo omnes nervos videbant in eo intendendos esse, ut quod in eo latebat ad suam consolationem, & ad ædificationem Ecclesiæ aliquo modo perspectum haberent.

2. Quia obscuriori modo sub typis & figuris propositam habuerunt istam veritatem, ita ut sine magnâ attentione & labore ad rem ipsam non potuerint penetrare.

Usus 1 *Informationis*, ut illinc intelligamus quales olim fuerunt veri Dei Prophetæ : non effundebant verba sine sensu, intellectu, affectu vel curâ earum rerum quæ ipsis subjiciebantur, ut diabolici gentium vates in suo furore solebant : sed animos suos totos applicabant ad illud quod præferebant.

2. *Exhortationis*, ut nos igitur omni ignavia, & socordia sepositâ, ad res istas divinas inquirendas & scrutandas omnem diligentiam & curam adhibeamus : hæc enim industria multo magis est nobis necessaria, quam iis quibus Spiritus Sanctus immediate omnia dictavit.

Docum. III. *Fundamentum omnis hujus gratiæ & salutis est in humiliatione & exaltatione Domini nostri Jesu Christi.*

Colligitur ex v. 11.

Ratio. Quia tota mediatio Christi, quâ salus nostra procuratur, istis duabus partibus continetur.

Usus 1. *Exhortationis*, ut ista duo semper conjungamus dum aliquo modo ad salutem adspiramus : hæc enim ita sunt sua natura conjuncta, ut si separarentur, fides & spes nostra tota redderetur inanis. Hæc sunt petra illa offensionis ad quam impegerunt, & adhuc impingunt Judæi, quod in suo Messia gloriam quærunt, & Majestatem æternam, etiam sine passione & humiliatione antecedente.

2. *Exhortationis*, ut perpetuo in omnibus superædificemus super hoc fundamentum.

Docum. IV. *Non tantum essentia ipsa hujus mysterii solet à piis exquiri, sed omnes etiam circumstantiæ ejus quatenus possunt attingi.*

Colligitur ex illis verbis : *scrutantes in quem aut qualem temporis articulum.*

Ratio 1. Quia in isthoc mysterio nihil est parvum aut exile, ita ut negligi possit sine detrimento.

2. Quia amor est sollicitus etiam de omnibus iis quæ pertinent ad rem amatam, quamvis alias videantur esse minuta.

Usus Admonitionis, ne satis esse cogitemus communia Evangelii principia aliquo modo novisse ; sed exerceamus nosmetipsos ad gratiam omnem Dei percipiendam magis adhuc plene & distincte.

Docum. V. *Hæc omnia semper declarata fuerunt tantummodo per Spiritum Christi qui fuit in Prophetis.*

Colligitur ex v. 11.

Ratio. Quia sicut nemo novit quæ sunt hominis, sic nemo novit quæ sunt Christi, nisi Spiritus ejus, 1 Cor. 2. 11.

Usus 1. *Informationis*, ut hinc nos confirmemus in vera divina natura Christi

Christi, quia Spiritus ille Dei qui loquebatur in Prophetis sub initio, expresse hic vocatur Spiritus Christi.

2. *Exhortationis*, ut pendeamus à Christo & Spiritu ejus, omnem lucem quæramus in Scripturis scrutandis & rebus divinis exquirendis.

Docum. VI. *Quamvis eadem fuit gratia salutaris quæ vigebat in Ecclesia ab initio mundi, magna tamen est prærogativa nostra, circa illam gratiam supra sortem Prophetarum, & eorum quibus prophetarunt ante adventum Christi.*

Colligitur ex v. 12. *non sibi, sed nobis administrabant.*

Ratio 1. Propter clariorem lucem illam quæ solis adventum comitabatur, & ab eo tempore manet.

2. Propter efficaciam majorem Spiritus Sancti, ut in textu est.

3. Propter latiorem communicationem hujus gratiæ, quæ extenditur jam ad omnes gentes.

Usus 1. *Consolationis*, quoniam abundamus ista gratia, stabiliri debent corda nostra adversus omnes terrores.

2. *Exhortationis*, ut pro abundantia hujus gratiæ, nostra etiam gratitudo abundet in omni studio pietatis: qui enim multa accepit, ab eo multum expectatur.

Docum. VII. *Gratiæ & salutis nobis per Christum oblatæ tanta est præstantia, ut Angeli etiam ipsi cœlestes in eam cupiant introspicere.*

Colligitur ex 1 Tim. 3. 16.

Ratio. Quia quædam sunt in hoc mysterio, quæ Angeli ipsi adhuc ignorant, Matth. 24. 26. in illa introspicere cupiunt, ut sciant: in alia quæ sciunt, introspicere etiam cupiunt, ut oblectent semetipsos in gloria Dei, quasi per speculum contemplanda.

Usus Admonitionis, ne nos igitur unquam tædeat in sanctissima ista mysteria inquirere, sive publicè in verbo Dei audiendo, sive privatim in eo legendo & meditando.

Vers. 13. usque ad finem Cap.

Qua propter succincti lumbis mentis vestræ, sobrii ad finem usq; sperate in eam quæ vobis defertur gratiam, quum revelabitur Iesus Christus.

Vt filii obedientes, qui vos non configuretis pristinis, quæ in ignorantia vestra viguerunt, *cupiditatibus.*

Sed sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.

Propterea quod scriptum est, sancti estote, nam ego sanctus sum.

Et si patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore versamini commorationis vestræ tempore,

Vt qui sciatis vos non corruptibilibus rebus, *argento vel auro, fuisse redemptos ex vana illa vestra conversatione, a patribus tradita:*

Sed pretioso sanguine, utpote agni inculpati & incontaminati, nempe *Christi:*

Præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, manifesti autem facti ultimis temporibus propter vos.

Per

Per eum credentes in Deum qui ſuſcitavit eum ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac ſpes veſtra in Deo eſſet.

Qui igitur animas veſtras purificaſtis, auſcultando veritati per Spiritum, ad amorem fraternum minime ſimulatum, ex mundo corde alii alios diligite intenſe :

Regeniti non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, id eſt, *per ſermonem Dei vivi, & manentis in æternum.*

Nam omnis caro eſt ut gramen, &c.

ANALYSIS.

COntinetur iſta parte capitis exhortatio ad perſiſtendum & pergendum in gratia Dei, quæ ſcopus eſt totius Epiſtolæ, ut antea oſtenſum : hoc autem officium deſcribitur generaliter v. 13. ac poſt explicatur ac urgetur variis argumentis in ſequentibus. Deducitur ex deſcriptione gratia antea propoſitæ tanquam concluſio, quæ per neceſſariam quandam connexionem & conſequentiam ex natura illius gratiæ, prout antea deſcripta fuit, infertur ; quod manifeſto liquet ex illa conjunctione *quapropter*, atque illa eſt ratio, quod in ſingulis partibus hujus exhortationis prout diſtincte proponuntur, ſingularis reſpectus habetur ad aliquam partem deſcriptionis illius antecedentis, qua gratiæ natura fuit explicata. Officium igitur ad quod Apoſtolus exhortatur, deſcribitur : 1. Per ejus cauſam & partem principalem : quæ eſt, *ſpes viva*, cujus antea mentio facta eſt, v. 13. 2. Singulare objectum hujus ſpei, cujus intuitu confirmari & roborari debet ; quod eſt gratia illa quæ jam defertur fidelibus ſuo modo, ſed perfectius poſthac communicabitur, illis verbis : *Sperate in eam quæ vobis defertur gratiam cum revelabitur Jeſus Chriſtus*, quæ pars deſcriptionis repetitur ex fine, v. 17. 3. Per adjunctum conſtantiæ & perſeverantiæ quæ in tota Epiſtola maxime ſpectatur, ut præcipuus ejus ſcopus, illis verbis : *in finem uſque ſperate* 4. Adjicitur etiam modus & medium hujus officii præſtandi, cum ſtrenuè & promptè hoc agendum eſſe docet cum ſobrietate & vigilantia, illis verbis : *ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii.* Explicatur & urgetur hæc exhortatio variis argumentis ; quorum primum petitur à regeneratione aut vocatione efficaci, qua fideles omnes facti ſunt filii Dei, Pſal. 14. 15, 16, 17. quæ ratio petitur ex verſ. 3. ubi mentio fit regenerationis fidelium *per Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti* : quia per illam regenerationem aut vocationem tranſeunt fideles ex ſtatu peccati in ſtatum gratiæ : idcirco ponitur iſta ratio utroque reſpectu, tum ut renuncient priſcis peccatis, v. 14. tum ut conforment ſe ſanctitati vocationis illius qua ſunt vocati, verſ. 15. quod urgetur & inculcatur argumento duplici : primum petitur à ſimilitudine quæ intercedere debet inter vocantem & vocatos, ſicut Script. ipſa V. Teſtamenti teſtatur, v. 15, 16. 2 Petitur à ſeveritate judicii Dei, quam illi minime omnium poſſunt effugere : qui

qui Deum Patrem ſuum cognominant & nomen ejus dedecorant, v. 17. Secundum argumentum Exhortationis petitur à *Redemptione*, ejuſque medio & fine, v. 18, 19. Cujus antea facta eſt mentio verſ. 3. in fine, & v. 11. quia redemptionis hujus per Ieſum Chriſtum impetratæ, atque ipſius Chriſti conſideratio eſt maxime neceſſaria & efficax in fidelibus monendis & excitandis ad officii ſui curam. Ergo commoratur Apoſtolus in deſcriptione Chriſti, prout fuit ab omni æternitate prædeſtinatus ad officium mediatoris obeundum, v. 20. princip. & prout fuit in tempore revelatus, v. 20, 21. quod repetitur ex v. 11, 12. Tertium argumentum petitur à *ſanctificatione*, prout fluit à regeneratione Spiritus, & à verbo Dei, quæ ſunt propriæ ipſius cauſæ, v. 22, 3, 4, 5. ubi obiter pars illa Chriſtiani officii, quæ reſpicit mutuam fidelium charitatem, inter ſeſe commendatur, verſiculo 22. quia omnes fideles per regenerationem participes fiunt ejuſdem vitæ ſpiritualis; ſed præcipue tamen conſtantia in illa & omni alia gratia ſuadetur ab incorruptibili natura Verbi regenerantis; atque adeo ipſius regenerationis; quæ per comparationem diſſimilium illuſtratur, v. 23, 24, 25.

Documenta.

Docum. I. *Conſideratio gratiæ Dei quæ nobis defertur in Chriſto, debet nos excitare ad omne ſtudium pietatis.*

Colligitur ex illa connexione quæ indicatur illa particula, *quapropter*, v. 13.

Ratio 1. Quia finis gratiæ eſt liberare nos à peccato & conformes facere imagini Dei, Lucæ 1. 74, 75.

2. Quia eo modo nobis quam maxime conveniens eſt, ad nos in iſto ſtudio docendos, & promovendos, Tit. 2. 11, 12.

3. Quia non poteſt à nobis verè diſci, niſi hoc in nobis efficiat, Eph. 4. 20. 1, 2, 3, 4.

Uſus 1. *Condemnationis*, adverſus eos, qui gratiam Dei convertunt in laſciviam, Gal. 5. 13.

2. *Exhortationis*, ut omnem curam adhibeamus, quo gratia iſta in cordibus noſtris efficax reddatur cum maximo fructu pietatis.

Docum. II. *Fundamentum ſolidæ pietatis eſt firmiter ſperare in illam gratiam quæ revelabitur in adventu Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Colligitur ex v. 13. Phil. 3. 20. Tit. 2. 13.

Rat. 1. Quia ſpes iſta eſt perfectio vitæ illius in qua vita noſtra ſpiritualis conſiſtit.

2. Quia hæc expectatio mercedem illam nobis repræſentat, cujus contemplatio immotos nos reddit, & eminentes in opere Dei, 1 Cor. 15. 58. Ebr. 6. 11.

3. Quia ſpes iſta gignit patientiam, qua omnes difficultates, quæ in pietatis curſu ſolent occurrere, valida conſolatione ſuperat, Ebræ. 6. 12, 18, 19.

Uſus Exhortationis, ut hoc fundamentum in cordibus noſtris ſolide collocare, & indies magis magiſque confirmare curemus.

Docum. III. *Vt iſtam ſpem firmam & vivam conſervemus ſtrenue noſmetipſos accingere debemus; ut ad omnia illa, quæ eo ſpectant, parati ſi-*

mus ac prompti.

Colligitur ex illis verbis: *ſuccincti lumbis mentis veſtræ.* Hoc enim eſt illud quod ſignificatur per habitum hominis ſuccincti lumbis in Scripturis, quod ſit paratus ac promptus ad officium præſtandum, Luc. 12. 35.

Ratio 1. Quia magna difficultas eſt in iſta ſpe retinenda, ita, ut ſine magno conatu conſervari non poſſit.

2. Quia in ſpiritualibus officiis lumbi noſtri ſunt nimis diſſoluti, id eſt languor peccati & infirmitatis occupavit omnes noſtras facultates, Ebræor, 12. 12.

Uſus Admonitionis, ne locum demus torpori & ſegnitiei depravatæ noſtræ naturæ, ſed contra nitamur quantum poſſumus, & abjecto omni pondere & circumcingente ignavia, propoſitum nobis ſtadium curamus, Ebr. 12. 1.

Docum. IV. *Sobrietas rerum in uſu rerum hujus vitæ plurimum facit ad iſtum conatum promovendum.*

Colligitur ex illo verbo: *ſobrii ſperate.*

Ratio. Quia amor & immoderatus uſus rerum mundanarum gravat animam & terræ affigit ita, ut non poſſit attollere ſeſe ad res cœleſtes quærendas.

Uſus Admonitionis, ne animos noſtros ulli rei mundanæ addicamus; ſed hic utamur hoc mundo, & non abutamur, 1 Cor. 1. 31.

Docum. V. *Status adoptionis qua filii Dei ſumus excitare nos debet ad ſtudium ſanctitatis.*

Colligitur ex illis verbis: *ut filii obedientes.*

Ratio 1. Quia filii gerere debent imaginem Patris, imago autem Dei eſt in ſanctitate & juſtitia.

2. Quia filiorum eſt prompte & ſua ſponte accommodare ſeſe ad voluntatem Patris. Voluntas autem Dei eſt noſtra ſanctificatio, 1 Theſ. 4. 3. hoc eſt quod innuitur in iſto titulo, cum vocantur fideles *filii obedientiæ.*

Uſus 1. *Condemnationis*, adverſus eos qui cum impiis Judæis dicunt ſe filios Abrahæ & Dei, cum opera faciant diaboli, Joh. 8. 41. 2, 4. 1 Joh. 3. 8, 10.

2. *Exhortationis*, ut in omnibus teſtatum faciamus nos eſſe veros Dei filios, per obedientiam erga voluntatem ejus, & ſtudium ſanctitatis: hoc enim nomine niſi ſuſtineamus caſtigationes Dei, ut per illas participes reddamur ſanctimoniæ illius, ſuppoſititii ſumus, & non veri filii, Ebræ. 12. 8, 10.

Docum. VI. *Cum iſthac filiorum obedientia conſiſtere non poteſt, ut configuremus nos priſtinis peccati cupiditatibus.*

Colligitur ex oppoſitione quæ ſtatuitur inter iſta duo, v. 12. ubi ex uno affirmato quod filii ſumus obedientes, alterum negatur quod non debeamus nos configurare priſtinis cupiditatibus.

Ratio 1. Quia illi qui per regenerationem facti ſunt filii Dei, ſunt nova creatura, veram habentes naturam & novos affectus, ita ut priſtinæ naturæ & affectibus, plane renunciarint: atq; hanc ipſam ob cauſam vocantur in textu, *Cupiditates priſtinæ*, ſeu *quæ prius fuerunt.*

2. Quia veteres illæ cupiditates peccati abducunt nos plane a voluntate illa Dei, cui obedientiam præſtare debemus.

3. Quia priſtinæ cupiditates peccati

peccati tales sunt, ut pudere earum omnes posset, qui ad notitiam veritatis pervenerunt; hoc in textu innuitur cum vocantur *cupiditates qua in ignorantia vigent*: quia lucem ferre non possunt.

Usus 1. *Reformationis & Condemnationis*, eorum qui profitentur se filios Dei, & Deum invocant tanquam patrem suum, & tamen eandem illam vitæ rationem sequuntur cum hominibus mundanis & filiis hujus mundi.

2. *Exhortationis*, ne configuremus nos huic sæculo, Roman. 12. 2. ubi ratio etiam redditur hujus exhortationis, ex v. 1. quia non possumus nos sistere Deo in hostiam vivam & Deo placentem, si hoc faciamus, 2 Tim. 2, 19.

Docum. VII. *Vocatio fidelium necessario postulat ab ipsis sanctitatem.*

Colligitur ex v. 15, 16.

Ratio 1. Quia sanctitas est inter præcipuos fines hujus vocationis 1 Cor. 2. 2 Tim. 1. 9. inde etiam dici solet in Scripturis vocatio sancta.

2. Quia Deus ille qui vocat nos est sanctissimus, & ad communionem vocat habendam secum in illa sanctitate, ut est in textu.

3. Quia ipsa vocatio in sua natura est separatio hominis ab usu communi mundano, & corruptio ad ad usum sacrum, atque adeo est consecratio vel dedicatio hominum ad sanctitatem.

Usus 1. *Increpationis & Condemnationis*, eorum qui ex vocatione Christiana nihil quærunt nisi justificationem & beatitudinem, sanctitatis curam plane negligentes.

2. *Exhortationis*, ut in omni conversatione nostra studeamus sanctitati, sicut est in textu; *Sancti quoque in omni conversatione reddamini*, id est, ambulate, ut convenit vocationi qua vocati estis.

Docum. VIII. *Austeritas judicii & severitas divina debet nos excitare ad studium pietatis, seu sanctitatis.*

Colligitur ex v. 17.

Ratio 1. Quia Deus in judicio exercendo non est personarum acceptor, ut in textu. Nomen autem & professio fidei nihil aliud est, quam persona aut facies hominis Christiani: sicut circumcisio & & professio legis fuit persona hominis Judæi: hujusmodi igitur professio sine solida sanctitate non potest consistere coram Dei tribunali.

2. Quia Deus aliquo modo severius exigit sanctitatem ab iis, qui per vocationem appropinquant ad Deum, & cognominant eum Patrem, ut est in textu, quam ab aliis, Levit. 10. 3. *In propinquis meis sanctificabor.*

Usus Admonitionis, ne nobismetipsis imponamus, fiduciam nostram collocando in externa fidei professione, sed cum timore & reverentia versemur semper coram Deo, sicut in textu est: quia est consumens ignis Deus noster, Ebr. 12. 29.

Docum. IX. *Redemptionis nostræ consideratio plurimum apud nos valere debet, ad accendendum in cordibus nostris studium sanctitatis.*

Ratio 1. Quia redempti sumus ab omni vana conversatione, quamvis Patrum nostrorum usu & traditione nobis commendetur, v. 18. Hujusmodi ergo mores consectari post redemptionem agnitam, nihil aliud est, quam opponere se propriæ redemptioni; eamque quantum in nobis est, frustraneam reddere.

mus ac prompti.

Colligitur ex illis verbis: *succincti lumbis mentis veſtræ.* Hoc enim eſt illud quod ſignificatur per habitum hominis ſuccincti lumbis in Scripturis, quod ſit paratus ac promptus ad officium præſtandum, Luc. 12. 35.

Ratio 1. Quia magna difficultas eſt in iſta ſpe retinenda, ita, ut ſine magno conatu conſervari non poſſit.

2. Quia in ſpiritualibus officiis lumbi noſtri ſunt nimis diſſoluti, id eſt languor peccati & infirmitatis occupavit omnes noſtras facultates, Ebræor, 12. 12.

Uſus Admonitionis, ne locum demus torpori & ſegnitiei depravatæ noſtræ naturæ, ſed contra nitamur quantum poſſumus, & abjecto omni pondere & circumcingente ignavia, propoſitum nobis ſtadium curamus, Ebr. 12. 1.

Docum. IV. *Sobrietas rerum in uſu rerum hujus vitæ plurimum facit ad iſtum conatum promovendum.*

Colligitur ex illo verbo: *ſobrii ſperate.*

Ratio. Quia amor & immoderatus uſus rerum mundanarum gravat animam & terræ affigit ita, ut non poſſit attollere ſeſe ad res cœleſtes quærendas.

Uſus Admonitionis, ne animos noſtros ulli rei mundanæ addicamus; ſed hic utamur hoc mundo, & non abutamur, 1 Cor. 1. 31.

Docum. V. *Status adoptionis qua filii Dei ſumus excitare nos debet ad ſtudium ſanctitatis.*

Colligitur ex illis verbis: *ut filii obedientes.*

Ratio 1. Quia filii gerere debent imaginem Patris, imago autem Dei eſt in ſanctitate & juſtitia.

2. Quia filiorum eſt prompte & ſua ſponte accommodare ſeſe ad voluntatem Patris. Voluntas autem Dei eſt noſtra ſanctificatio, 1 Theſ. 4. 3. hoc eſt quod innuitur in iſto titulo, cum vocantur fideles *filii obedientiæ.*

Uſus 1. *Condemnationis*, adverſus eos qui cum impiis Judæis dicunt ſe filios Abrahæ & Dei, cum opera faciant diaboli, Joh. 8. 41. 2, 4. 1 Joh. 3. 8, 10.

2. *Exhortationis*, ut in omnibus teſtatum faciamus nos eſſe veros Dei filios, per obedientiam erga voluntatem ejus, & ſtudium ſanctitatis: hoc enim nomine niſi ſuſtineamus caſtigationes Dei, ut per illas participes reddamur ſanctimoniæ illius, ſuppoſititii ſumus, & non veri filii, Ebræ. 12. 8, 10.

Docum. VI. *Cum iſthac filiorum obedientia conſiſtere non poteſt, ut configuremus nos priſtinis peccati cupiditatibus.*

Colligitur ex oppoſitione quæ ſtatuitur inter iſta duo, v. 12. ubi ex uno affirmato quod filii ſumus obedientes, alterum negatur quod non debeamus nos configurare priſtinis cupiditatibus.

Ratio 1. Quia illi qui per regenerationem facti ſunt filii Dei, ſunt nova creatura, jam habentes novam naturam & novos affectus, ita ut priſtinæ naturæ & affectibus, plane renunciarint: atq; hanc ipſam ob cauſam vocantur in textu, *Cupiditates priſtinæ*, ſeu *quæ prius fuerant.*

2. Quia veteres illæ cupiditates peccati abducunt nos plane a voluntate illa Dei, cui obedientiam præſtare debemus.

3. Quia priſtinæ cupiditates pecca-

peccati tales sunt, ut pudere earum omnes posset, qui ad notitiam veritatis pervenerunt; hoc in textu innuitur cum vocantur *cupiditates quæ in ignorantia vigent*: quia lucem ferre non possunt.

Usus 1. *Reformationis & Condemnationis*, eorum qui profitentur se filios Dei, & Deum invocant tanquam patrem suum, & tamen eandem illam vitæ rationem sequuntur cum hominibus mundanis & filiis hujus mundi.

2. *Exhortationis*, ne configuremus nos huic seculo, Roman. 12. 2. ubi ratio etiam redditur hujus exhortationis, ex v. 1. quia non possumus nos sistere Deo in hostiam vivam & Deo placentem, si hoc faciamus, 2 Tim. 2, 19.

Docum. VII. *Vocatio fidelium necessario postulat ab ipsis sanctitatem.*

Colligitur ex v. 15, 16.

Ratio 1. Quia sanctitas est inter præcipuos fines hujus vocationis 1 Cor. 2. 2 Tim. 1. 9. indè etiam dici solet in Scripturis vocatio sancta.

2. Quia Deus ille qui vocat nos est sanctissimus, & ad communionem vocat habendam secum in illa sanctitate, ut est in textu.

3. Quia ipsa vocatio in sua natura est separatio hominis ab usu communi mundano, & corruptio ad ad usum sacrum, atque adeo est consecratio vel dedicatio hominum ad sanctitatem.

Usus 1. *Increpationis & Condemnationis*, eorum qui ex vocatione Christiana nihil quærunt nisi justificationem & beatitudinem, sanctitatis curam plane negligentes.

2. *Exhortationis*, ut in omni conversatione nostra studeamus sanctitati, sicut est in textu; *Sancti quoque in omni conversatione reddamini*, id est, ambulate, ut convenit vocationi qua vocati estis.

Docum. VIII. *Austeritas judicii & severitas divina debet nos excitare ad studium pietatis, seu sanctitatis.*

Colligitur ex v. 17.

Ratio 1. Quia Deus in judicio exercendo non est personarum acceptor, ut in textu. Nomen autem & professio fidei nihil aliud est, quam persona aut facies hominis Christiani: sicut circumcisio & & professio legis fuit persona hominis Judæi: hujusmodi igitur professio sine solida sanctitate non potest consistere coram Dei tribunali.

2. Quia Deus aliquo modo severius exigit sanctitatem ab iis, qui per vocationem appropinquant ad Deum, & cognominant eum Patrem, ut est in textu, quam ab aliis, Levit. 10. 3. *In propinquis meis sanctificabor.*

Usus Admonitionis, ne nobismetipsis imponamus, fiduciam nostram collocando in externa fidei professione, sed cum timore & reverentia versemur semper coram Deo, sicut in textu est: quia est consumens ignis Deus noster, Ebr. 12. 29.

Docum. IX. *Redemptionis nostræ consideratio plurimum apud nos valere debet, ad accendendum in cordibus nostris studium sanctitatis.*

Ratio 1. Quia redempti sumus ab omni vana conversatione, quamvis Patrum nostrorum usu & traditione nobis commendetur, v. 18. Hujusmodi ergo mores consectari post redemptionem agnitam, nihil aliud est, quam opponere se propriæ redemptioni; eamque quantum in nobis est, frustraneam reddere.

2. Quia per redemptionem iſtam emptitii ſumus ſervi Dei, 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. ita ut neque peccato nec mundo ſervire debeamus ulterius, neque ex proprio arbitrio vivere; ſed ex voluntate Dei & redemptoris noſtri.

3. Quod pretium illud quo redempti ſumus ſit tantæ præſtantiæ, ut pretioſiſſima hujus mundi facile ſuperet pretia. Itaque præſtans hujus debet eſſe uſus : qui tamen non habetur in aliquo pretio, niſi ab iis qui ſtudent ſanctitati, verſ. 18, 19.

Uſus 1. *Condemnationis*, adverſus eos qui vita ſua prophanant Chriſtum & redemptorem ſuum ignominiæ exponunt. Ebr. 6, 6, ſanguinem ejus, qui fuit redemptionis pretium, quaſi conculcant & prophanum ducunt, Ebr. 6. 26.

2. *Exhortationis*, ut quoties de redemptione noſtra cogitemus, quod quam ſæpiſſime facere debemus, toties quaſi ardentes prunas capitibus noſtris accumulari ſentiamus, quibus ad eam ſanctitatem accendamur.

Docum. X, *Ad redemptionis noſtræ fructuoſam conſiderationem, debemus Chriſti prædeſtinationem, miſſionem, humiliationem, & glorificationem attente conſiderare.*

Colligitur ex v. 20, 21.

Ratio 1. Quia hac ſola ratione latitudo, longitudo, profunditas, & ſublimitas charitatis Dei in Chriſto apparet, Eph. 3. 18.

2. Quia hac ratione innoteſcit nobis, quantæ molis & difficultatis fuerit liberare homines à ſuis peccatis.

3. Quia ſic etiam promptum eſt colligere, quam æquum ſit & juſtum, ut nos Deo & Chriſto vivamus in omni ſanctitate, qui ſcopus eſt hujus textus.

Uſus admonitionis, ut non perfunctorie tranſigamus illud myſterium in meditationibus noſtris, ſed in eodem ſpeculando commoremur, ut veræ pietatis ſuccum & uſum inde hauriamus.

Docum. XI. *Proprius & immediatus uſus omnis contemplationis Chriſti, & redemptionis ab ipſo patratæ, eſt, ut fides ac ſpes noſtra ſtabiliatur in Deo.*

Colligitur ex v. 21. in fine.

Ratio 1. Quia finis mediationis Chriſti eſt, ut per eum credamus in Deum : ſicut hic affirmatur.

2. Quia in Chriſto exempla habemus fidei & ſpei in Deum collocandi, quia Chriſtus perfectè hoc præſtitit ſuo modo; & via iſta ſummam gloriam eſt aſſecutus.

3. Quia noſtro nomine & bono communicata eſt Chriſto illa gloria, quam fides & ſpes noſtræ reſpiciunt & quærunt.

Uſus Exhortationis, ut ſemper intueamur in fidei ducem & conſummatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Ebræ. 12. 2. & eum intuendo fidem & ſpem noſtram reſuſcitemus.

Docum. XII. *Vocatio fidelium purificationem animæ habet conjunctam.*

Colligitur ex initio v. 22. 2 Pet. 2. 20 hoc eſt, quod ablutio baptiſmi repræſentat gratiam illam, quæ in vocatione communicatur : hæc autem purificatio & ablutio quæ in vocatione communicatur, & per baptiſmum ſignificatur, non eſt per juſtificationem tantum, quæ in reputatione ejus conſiſtit ad remiſſionem peccatorum, ſed etiam per ſancti-

ſanctificationem aut realem purgationem animæ, 1 Cor. 6. 11. Tit. 3, 5. hæc autem juſtificatio præcipue refertur ad animam tanquam ad ſuum ſubjectum.

Ratio 1. Quia purificatio & ſanctificatio externa nihil omnino valet, ſi ſeparetur ab interna: hæc enim fuit hypocriſis Phariſæorum & Scribarum, qui dicuntur purificaſſe exteriorem poculi patinæq; partem, cum intus pleni fuerint Rapina & Intemperantia, Matth. 23. 15.

2. Quia operatio Spiritus incipit ab anima, & ab anima derivatur in exteriorem hominem: ſicut enim pollutio omnis primo egreditur ex corde, Mat. 15. 19. ſic etiam purificatio.

3. Quia ſi animus intus purificetur, ſequetur ſua ſponte in externis puritas, Mat. 13. 16.

4. Quia puritas iſta magis proprie conſiſtit in animæ affectu & intentione, quam in externa executione: nam eadem externa opera poſſunt ab impuris hominibus præſtari; ſed internis diſpoſitionibus & affectibus differunt fideles ab omnibus impuris hypocritis

5. Quia fideles ipſi ſuſtentantur ſæpe & conſolationem accipiunt ex puritate illa, quam habent intus in voluntate & propoſito ſuo, quamvis ex voto non poſſunt in actum producere, Rom. 7. 12. 25.

Uſus 1. *Condemnationis*, ad eos qui Chriſtianorum nomine dealbantur, ſed de puritate animarum ſuarum non ſunt ſolliciti: atque idcirco recte vocari poſſunt parietes dealbati, Actor. 23. 3. & ſepultura dealbata, Mat. 23, 27.

2. *Exhortationis*, ut operam navemus animis noſtris purificandis, ut ſint templa Spiritus S.

Docum. XIII. *Purificatio hæc efficitur per auditionem verbi & efficacem operationem Spiritus Sancti, per illud Verbum.*

Colligitur ex illis verbis: *auſcultando veritati per Spiritum*: Ubi verbum Dei præſertim Evangelii appellatur veritas, partim propter excellentiam, aut eminentiam veritatis, quam habet ſupra omnia alia dicta aut ſcripta, & partim quia vi veritatis aut fidelitatis illarum promiſſionum, quæ in iſto verbo continentur, efficitur iſta purificatio cum illis cæteris benedictionibus ſpiritualibus, quæ pertinent ad conſolationem & ſalutem fidelium.

Ratio 1. Quia verbum una cum ſpiritu revelat nobis veram illam puritatem quæ Deo placet & probatur, cujus nos ſumus ignari.

2. Quia verbum cum ſpiritu eſt oraculum aut potentia Dei ad ſalutem, atque adeo ad omnem gratiam nobis ingenerandam.

3. Quia fides purificat corda fidelium. Act, 15. 9. & fides eſt ex auditu verbi, Rom. 10. 17.

Uſus 1. *Rejectationis*, adverſus hæreſes eorum qui vel naturæ viribus iſtam potentiam, ut homines ſemetipſos pro libero ſuo arbitrio ſanctificarent, vel quod eodem fere redit, externam verbi, prædicationem ſufficere contendunt ſine ſpiritus efficaci operatione.

2. *Exhortationis*, ut cum omni diligentia attendamus ad verbum Dei. 2. Ut in litera hujus verbi non acquieſcamus: ſed gratiam & operationem Spiritus à Deo ſemper petamus. 3. Ut in verbi uſu per ſpiritum quæramus animarum

noſtrarum purificationem.

Docum. XIV. *Effectum & ſignum animæ purificatæ eſt purus, ſincerus & fervidus amor fidelium tanquam fratrum.*

Colligitur ex illis verbis: *ad amorem fraternum.*

Ratio 1. Quia odium, invidia, excandeſcentia, rixæ, inimicitiæ & ſimiles affectus, præſertim cum feruntur in bonos, ſunt inter ſordes iſtas carnales à quibus anima fidelis purificatur, Gal. 5.19,20.

2. Quia purificatio animæ noſtræ facit ut amemus puritatem, eaque delectemur in aliis: neque delectatur quiſquam puritate in aliis, niſi ipſe aliqua ex parte ſit purificatus.

3. Quia in mutua dilectione fidelium variæ operationes exercentur, ad quas præſtandas, propria quadam ratione purificantur & ſanctificantur eorũ animæ, ut beneficentia, tolerantia infirmitatũ, ædificatio Eccleſiæ, & nominis divini glorificatio.

Uſus Condemnationis, adverſus eos qui maxime alienos ſeſe oſtendunt ab hominibus piis: hi recte appellari poſſunt Cainitæ, quia ingreſſi ſunt in viam Cain, cum illis quibus væ denunciatur à Judâ, v. 11.

2. *Exhortationis*, ut omni modo ſtudeamus comparare nobiſmetipſis fraternum amorem erga pios: in quo requiritur 1. Syncritas, ut ſit ſine hypocriſi aut ſimulatione, ita ut non ſit *in verbis*, aut *in facie*, ut loquitur Apoſtolus; ſed *in corde*. 2. Ut ſit non tantum ex corde, ſed puro corde: quia amor quidem eſt ſyncerus aliquo modo, qui tamen eſt impurus, dum vel negligit illius boni curam quod præcipuum locum debet obtinere; vel iis mediis utitur in aliquo bono procurando, quæ ſunt ab eo prorſus aliena: ut ſi quis ad fratrem liberandum ex periculis, ſuaderet ipſi veritatis abnegationem, aut impietatis alicujus ſimulationem. 3 Ut ſit intenſus, quia affectus in illa objecta ſummo gradu ferri debet, ubi ſumma ratio illius excitandi reperitur.

Docum. XV. *Regeneratio omnium fidelium communis, eſt efficax argumentum dilectionis mutuæ inter fideles.*

Colligitur ex fine v. 22. & initio 23. hæc ratio redditur quare diligerint alii alios: quia ſunt regeniti.

Ratio. Quia per iſtam regenerationem fideles omnes ſunt fratres ab eodem parente, ex eodem ſanguine geniti, & eundem Spiritum participantes.

Uſus Exhortationis, ut hujus argumenti memores & locum atque efficaciam illi concedamus in cordibus noſtris, ita ut ex occaſione dicamus cum Abrahamo, Gen. 13.8. *non ſit contentio inter me & te, nam ſumus fratres*; & alios etiam moneamus verbis iſtis Moſis, Actor. 7. 26. *Viri fatres eſtis: cur alii alios injuria afficitis?*

Docum. XVI. *Verbum Dei eſt incorruptibile ſemen aut principium Spiritus hujus regenerationis.*

Colligitur ex v. 23.

Ratio 1. In textu, quia eſt verbum Dei vivi & manentis in æternum; cujus naturam refert in eo, quod operationem habet non momentaneam aut temporariam, ſed in æterum durantem.

2. Quia eſt proprie loquendo verbum vitæ æternæ, Joh. 6. 68. quia finis & uſus ejus eſt, perducere homines ad vitam æternam.

3. Quia

3. Quia ubi ſemel vere recipitur, nunquam poſtea deficit, Ioh. 4. 14.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus eorum errorem qui vere renatos docent excidere gratia Dei ſolere, atque ita denaſci denuo poſtquam fuerunt renati; pugnat hoc non tantum cum promiſſione & fœdere Dei, de conſervandis fidelibus, ne recedant ab ipſo, Jer, 32. 40. & conſolatione illa quam Chriſtus præſtat ſuis membris, quæ ſibi eripi non patietur Johan. 14. 28. ſed etiam cum operatione Spiritus in cordibus fidelium & natura ipſius vitæ, quam habent ſibi communicatam; quæ eſt incorruptibilis & æterna, ſicut eſt in textu, 1 Ioh. 3. 9.

2. *Conſolationis*, adverſus omnes illos terrores, qui oriri nobis poſſunt ex infirmitatum noſtrarum contemplatione; quamvis enim ex nobis metipſis ad corruptionem perpetuo declinamus, aliquid tamen nobis eſt ingenitum, ſi verè fideles ſumus, quod eſt incorruptible & manebit in vitam æternam.

3. *Exhortationis*, ut congruenter nos geramus in omnibus officiis hominum Chriſtianorum: id eſt, ut conſtantes & incorruptibiles ſimus in iis proſequendis: atque hoc eſt quod ſingulariter ſpectare videtur Apoſtolus hoc in loco, dum excitat fideles ad mutuam dilectionem intenſam & conſtantem: hoc argumento, quia regeniti ſunt ex verbo incorruptibili.

Docum. XVII. *Status ille in quo conſtituuntur fideles per incorruptibilem iſtam Verbi regenerationem, multo præſtantior eſt omni gloria hujus mundi.*

Colligitur ex v. 24, 25. ubi comparatio inſtituitur inter carnem, gramen, florem graminis, & gloriam hominis, ab una parte; & Verbum divinum ab altera: non prout verbum in ſeſe conſideratur, ſed prout à fidelibus recipitur, & eos transfert in regnum Dei.

Ratio. In textu, quia in toto mundo nihil eſt præter vanitatem, cito evaneſcentem: cum in Verbo Dei ſit ſtabilitas æterna.

Uſus 1. *Exhortationis*, ut pluris igitur faciamus verbum Dei, & regnum ejus quam totum mundum: idque non tantum reſpectu noſtrorum ipſorum, ſed & aliorum, ſicut Apoſtolus hoc in loco extollit Verbum Dei & ſtatum regenitorum ſupra omnia mundana; ut iſta conſideratione inter alias moveat fideles ad alios regenitos majori in pretio habendos & ardentius diligendos, quam res mundanas omnes.

2. *Conſolationis*, quod Deus nos extulerit ex ſua benignitate & gratia ad iſtiuſmodi dignitatem.

Docum. XVIII. *Hujus dignitatis & præſtantiæ rationem ſingularem debemus habere in Verbo Dei, quatenus nobis Evangelizatur.*

Colligitur ex v. 25. in fine.

Ratio 1. Quia idem verbum nobis prædicatur, quod tantopere laudatur à Prophetis, Apoſtolis, ab ipſo Chriſto; ſicut eſt in textu, *hoc verbum illud eſt.*

2. Quia maxime facit ad noſtram ſalutem, quatenus nobis prædicatur.

Uſus Admonitionis, ne ſatisfaciamus nobiſmetipſis in generali quadam æſtimatione Verbi, ſicut multi ſolent, qui cum faſtidio & tædio rejiciunt Verbum illud quod ipſis prædicatur; ſed cum omni reli-

gione & reverentia recipiamus Verbum illud quod nobis prædicatur, tanquam Verbum Dei æternum.

CAPUT II.

Vers. 1. usque ad 11.

Proinde deposita omni malitia & omni dolo & simulationibus & invidentiis, & omnibus obtrectationibus,

Ut modò geniti infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud augescatis.

Siquidem gustastis quod bonus sit Dominus:

Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus:

Ipsi quoque, veluti vivi lapides, ædificati, fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.

Quapropter etiam continetur in scriptura, Ecce statuo in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretiosum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.

Vobis igitur est honori qui creditis: non assentientibus autem sermoni, *lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi.*

Nempe *iis qui impingunt ad sermonem, non assentientes, ad quod etiam constituti fuerant.*

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus *ut proprium vendicat: ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.*

Qui quondam eratis *non populus, nunc* estis *populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti.*

ANALYSIS.

EAndem exhortationem quam antea proposuerat Apostolus, denuo repetit & inculcat, non simpliciter & nudè, sed in illo principio ac medio, cujus usus possit ac debeat quasi promoveri. Ex occasione enim eorum quæ proxime de Verbo Dei dixerat, excitat omnes fideles ad rectum usum hujus verbi, cujus ope possent in illa gratia, in qua stabant, persistere & proficere. Occasio & connexio hujus exhortationis cum antecedentibus verbis indicatur illa phrasi seu particula *perinde*. Exhortatio ipsa est ad expetitionem auditionem Verbi Dei, quod antea commendaverat, vers. 2. Quam exhortationem ita tractat, ut primo opposita vitia quæ huic officio repugnant ostendit esse rejicienda, & cavenda, quæ sunt quinque: *malitia, dolus, simulationes, invidentiæ, obtractationes*, v. 1. Et secundo loco rationes reddit consentaneas, quibus possint ad illud officium (verbi scilicet expetitionem

tionem) commoveri. Prima autem ratio ſumitur ab uſu aut effecto hujus verbi reſpectu ipſorum, quod unice facit ad fidelium ædificationem: hic autem uſus allegorice explicatur verſu 2. ubi fideles regeniti comparantur infantibus modo genitis, & Verbum lacti ſyncero; & ædificatio quæ per Verbum habetur, actioni illi comparatur quam infantes conſequuntur ex uſu lactis ſalubris. Secunda ratio per continuationem ejuſdem allegoriæ petitur ab objecto Verbi, quod nihil aliud proponit guſtandum; niſi Deum ipſum & Servatorem noſtrum Ieſum Chriſtum: Cujus perfectio & aptitudo declaratur ad ædificationem, verſ. 3. cum dicitur eſſe *bonus*: & confirmatur etiam experientiâ vel teſtimonio omnium fidelium qui bonitatem hanc dicuntur *guſtaſſe* ibid. *ſiquidem guſtaſtis Deum eſſe bonum.*

In eo affectu quo circa Deum noſtrum Ieſum Chriſtum, tanquam Verbi hujus primarium objectum, verſari debemus, explicando commoratur Apoſtolus à v. 4. ad 11. ubi primo affectus & officiū ipſum proponitur accedendi ad Chriſtum & adhærendi Chriſto per fidem v. 4. *Ad quem accedentes.* Tum ratio hujus officii allegorice declaratur: nempe quod Chriſtus ſit fundamentum ædificii ſpiritualis & viventis in æternum, v. 4. *qui eſt lapis vivus*, & fideles ſunt partes ædificii vel domus ſpiritualis ſuper iſtoc fundamento ædificandæ verſ. 5. princip. Illuſtratur autem utraque pars hujus rationis. Prima enim de fundamento vel ſubjecto declaratur argumentis diverſis; cum illud ab hominibus dicitur rejectum fuiſſe, ſed apud Deum tamen electum & pretioſum v. 4. Secunda autem de adjunctis partibus ædificii illuſtratur, & deinde urgetur ab effectis allegorice explicatis, quod per iſtam acceſſionem ad Chriſtum, tamquam ad fundamentum, fideles non tantum fiunt domus ſpiritualis, ut templum in quo offeruntur ſacrificiâ Deo grata; ſed etiam ſacerdotes erunt ipſi ſpirituales hoſtias offerentes, acceptas Deo per Jeſum Chriſtum v. 5. Confirmatur hoc quod dictum fuit de ſalutari effecto Chriſti ut ſervatoris in omnes fideles redundante teſtimonio Scripturæ, v. 6. quod teſtimonium explicatur etiam & applicatur per oppoſitos vel contrarios affectus, aut modos quibus oppoſita vel contraria hominum genera circa Chriſtum verſantur, id eſt, fideles & infideles: Fidelibus Chriſtus dicitur eſſe honori, verſ. 7. in princip. quia totam ſuam fiduciam collocant in Chriſto, atque adeo honorem ipſi tribuunt veri Meſſiæ & Servatoris: Infidelibus autem eſt offendiculo & ruinæ, verſ. 7, 8. Quia humilitate ejus offenſi non recipiunt eum tanquam ſervatorem: quorum infidelitas illuſtratur ab antecedenti Dei decreto, quo fuit ordinata, v. 8. in fine. *Ad quod etiam conſtituti fuerunt*: ſicut ex adverſo fidelium ſtatus illuſtratur 1. Ab arcana Dei electione quæ fuit ejus cauſa, verſ. 9. princip. 2. A dignitate illa quam virtute hujus electionis per fidem acquirunt, quod nempe ſunt *Regale ſacerdotium, Gens ſancta, populus Deus proprius*, 3. A fine, & uſu hujus dignitatis ad quam vocantur, qui eſt prædicare virtutes Dei, verſ. 9. in fine. 4. A comparatione diſſimilis

similis status illius in quo fuerunt ante suam vocationem, cum statu isthoc excellentiæ in quo constituti sunt per vocationem ad fidem in Christo, v. 10.

Documenta.

Docum. I. *Rectus usus Verbi Dei est proprium medium gratiæ omnis promovendæ.*

Ex connexione hujus exhortationis cum præcedenti. Cum enim antea exhortatus fuerat Apostolus ad constantiam in gratia, & ad obedientiam in sanctitate, & fraternam dilectionem ratione etiam deprompta ultimo in loco de Verbo Dei, ex quo tanquam ex incorruptibili semine fideles omnes regenerantur, hic in initio hujus capitis commendat nobis ejusdem Verbi rectum usum, tanquam propriam & unicam viam illa omnia perficiendi.

Ratio 1. Quia verbum est organon à Deo electum & sanctificatum ad istum usum, 1 Cor. 1. 21.

2. Quia verbum præsertim Evangelii, est ministerium spiritus, qui auctor & perfector est omnis gratiæ, 2 Cor. 3. 6, 8.

3. Quia verbum ostendit nobis voluntatem Dei bonam ac perfectam, Rom. 12. 2. Quia hominem instruit ad omne opus bonum, 2 Tim. 3. 17.

Usus 1. *Refutationis*, adversus fanaticos quosdam hæreticos, qui verbum Dei negligentes immediatas revelationes expectant, & de perfectione somniant majori quam in Verbo continetur.

2. *Exhortationis*, ut attendamus diligenter ad Verbum Dei in omnibus usq; dum ad perfectionis metam ipsam perveniamus in cœlis, 2 Petri. 1. 19.

Docum. II. *Ut rectè utamur Verbo Dei, necessario requiritur ut animos habeamus paratos ad vitia illa omnia deponenda quæ Verbi efficaciæ adversantur.*

Colligitur ex v. 1. Ubi quinque vitia singularia proponuntur, ut abjicienda, abneganda & mortificanda, antequam verbum possit in cordibus nostris debitam efficaciam habere.

Ratio 1. Quia sicut materia, nisi congrue præparetur, non possit recipere formam, neque ager incultus fovet semen ad proferendum fructum: sic neque cor hominis nisi per resipiscentiam subigatur, cum fructu recipit Verbum Dei, Jer. 8. 3, 4.

2. Quia hujusmodi propositum omnia deserendi quæ Verbo Dei adversantur, est primum illud principium operationis salutaris quam efficit Verbum Dei, ubi incipit recipi, & quo viam sibi facit ad perfectionem omnium operationum.

Usus 1. *Condemnationis*, adversus illos qui auditores volunt esse Verbi Dei, ita tamen ut familiaria sua peccata deserere nolint.

2. *Admonitionis*, ut non generaliter & semel tantum in prima conversione cogitationem istam & propositum admittamus: sed ex omni occasione, præsertim cum accingimus nos ad Verbum Dei audiendum, hoc idem propositum serio renovemus.

Docum. III *Abjicienda sunt ista vitia non ex parte tantum, sed ex toto.*

Colligitur ex illo *omni*.

Ratio 1.

Ratio 1. Quia reſipiſcentia non eſt vera & genuina niſi naturam ipſam vitii averſetur, neceſſe eſt ut totum genus uno & eodem odio proſequatur.

2. Quia facile ſe decipere poteſt quiſquam, dum putat ſe aliquod vitium depoſuiſſe, niſi omnem ſpeciem ejus deteſtetur, quocunque nomine aut fuco pallietur.

Uſus Inſtitutionis, ut corda noſtra ſerio ſcrutemur, ne per fraudulentiam aliquam lateat ibi vitium à quo nos putamus eſſe alienos.

Docum. IV. *Singularem curam debemus habere illa vitia deponere quæ pugnant cum officiis illis, ad quæ ſingulariter vocamur; & cum illâ diſpoſitione, quæ ſpecialiter requiritur in Chriſtianis, ut ex Verbo Dei proficiant.*

Colligimus ex eo, quod cum Apoſtolus ultimo loco exhortatur ad amorem fraternum minime ſimulatum, prioris cap. verſ. 21 notat hic illa vitia quæ cum iſta charitate maxime pugnant; & cum ſimplicitatem infantium laudare voluit ut diſpoſitionem neceſſariam ad Verbum Dei cum fructu recipiendum, rejicit iſta vitia quæ ei ſimplicitati opponuntur directè.

Docum. V. *Ad ſalutarem uſum verbi, præter depoſitionem malorum affectuum, de quibus antea requiritur affectus boni excitatio in cordibus noſtris, qui dicitur appetitus vel expetitio.*

Colligitur ex verſ. 2. exprimitur iſte appetitus alibi in Scripturis per famem & ſitim ſpiritualem, Iſai. 55. 1. Apoc. 21. 6. Et gradus ejus explicatur quod ſit ſummus, Pſal. 119. 20, 81, 82. Continet autem in ſeſe 1. magnam æſtimationem Verbi Dei Pſalm. 119. 2, 2. Impetum & conatum congruum eodem utendi & fruendi Ioh. 6. 27. 3. Delectationem qua acquieſcimus in ejus ſuavitate, Pſal. 119. 103.

Ratio 1. Quia verbum eſt nobis plane neceſſarium, ſine quo non poſſumus vivere: eſt enim lac vel cibus noſter ſpiritualis ut eſt in textu.

2. Quia deeſt nobis ſemper aliquid quod adhuc poteſt comparari: hoc etiam in textu ſignificatur, cum dicimur modo geniti infantes, quo notatur imperfectionem noſtram tantam eſſe, ut illius ratione cum magno affectu expectare debeamus opem Verbi.

3. Quia tanta eſt præſtantia & perfectio ipſius Verbi, ut ex ſeſe nos debeat delectare, quamvis alias propter indigentiam noſtram nobis non eſſet neceſſarium, hoc etiam indicatur in textu cum mentio fit ſynceritatis Verbi & bonitatis Dei quæ in iſto Verbo elucet.

Uſus Condemnationis, adverſus faſtidium illud, & ſatietatem Verbi, quæ in pleriſque nimis manifeſto apparet.

2. *Admonitionis*, ne affectus noſtros rebus mundanis occupari ſinamus, ita ut imminuat deſiderium illud quod Verbo Dei debet.

3. *Exhortationis*, ut omni modo conemur in nobis hujuſmodi pios affectus excitare, fovere & inflammare.

Docum. VI. *Affectus ille erga Verbum Dei reſpicere debet iſtius verbi ſynceritatem.*

Colligitur ex illo: *lac illud ſyncerum expetite*, id eſt naturam ipſam verbi & rerum in ea propoſitarum, quatenus puræ ſunt & aptiſſimũ alimentum animis noſtris ſuppeditant.

Ratio 1.

Ratio 1. Quia alias non appetitur verbum quatenus eſt verbum vitæ, aut panis vitæ, aut lac vitæ, ſicut eſt in textu, ſed quatenus ab hominibus apprehenditur ſub aliqua ſpecie carnali.

2. Quia iſte ſolus appetitus provenit à vita ſpirituali, illud in verbo quærente quod facit ad vitam, quod etiam in textu innuitur per ſimilitudinem infantium, qui naturaliter appetunt maternum lac.

Uſus 1. *Increpationis*, adverſus eos miniſtros qui cauponantur Verbum Dei ſuis mixturis & condituris, loco ſimplicis & ſynceri verbi, verbum adulteratum & in humanam quandam ſpeciem transformatum Deo obtrudunt.

2. *Admonitionis*, erga auditores ne ſuis affectibus ferantur, vel in perſonam dicentis vel in modum dicendi, ne dum in exotica illa figmenta quæ à nonnullis inter dicendum ſolent adhiberi, ſed ſyncere quærant ſynceritatem verbi.

3 *Exhortationis*, ut iſtam ſynceritatem Verbi magno in pretio habeamus, & ad eam, tam apud nos quam in Eccleſia conſervandam, omnem operam navemus.

Docum. VII. *Tum demum recte utimur ſyncero Verbo Dei cum per illud augeſcimus.*

Colligitur ex illis verbis : *ut per illud augeſcatis.* Significatur hoc omnibus illis Scripturæ locis, quibus finis Verbi ſtatuitur ædificatio fidelium : ædificare enim eſt promovere ſtructuram ædificii ad majorem perfectionem, poſtquam fundamentum jam eſt poſitum ; exprimitur etiam Eph. 4. 16.

Ratio 1. Quia nos imperfectione laboramus, tanquam infantes modo geniti : perficimur autem quando Verbum Dei inhabitat in nobis copioſe, Col. 3. 16.

2. Quia Verbum ipſum ſua natura tendit ac ducit ſemper ad perfectionem : eſt enim perfecta Dei voluntas, Rom. 12. 2.

Uſus 1. *Increpationis*, eorum qui cum pro temporis ratione doctores eſſe debent, manent rudes & infantes, Ebr. 5. 12, 13.

2. *Admonitionis*, ne unquam ita in eo quod aſſecuti ſumus acquieſcamus, quaſi nihil amplius eſſet quærendum ; requiritur enim, quamvis omnia alia habemus, ut magis magiſque excellamus, 1 Theſ. 4. 1. 10.

3. *Informationis*, ut intelligamus Verbum Dei neceſſarii uſus eſſe, non tantum rudibus & imperitis ; ſed etiam omnibus quibus aliquid adhuc deeſt, & qui cupiunt augeſcere in eo quod habent.

4. *Inſtitutionis*, ad examen inſtituendum noſtrum ipſorum ex iſta nota, an recte utamur Verbo Dei, necne.

Docum. VIII. *Bonitas aut benignitas illa in Evangelio elucet, quæ omnes fideles movet ad vehementem ejus appetitionem.*

Colligitur ex v. 3. *quod bonus ſit Deus*, ; ubi per bonum intelligitur Chriſtus, ut ex ſequentibus apparet : per bonitatem intelligitur illa gratia quæ in Evangelio manifeſtatur, ſicut liquido apparet ex connexione hujus verſiculi cum antecedente, Tit. 3, 4. Eph. 6. 6. & 27.

Ratio 1. Quia glorioſa illa gratia Dei, quæ ſalutem adfert hominibus per Chriſtum, eſt ſubjecta materia & argumentum Evangelii.

2. Quia iſtam gratiam impertit nobis

nobis Chriſtus indignis inimicis, & nihil tale quærentibus ab initio: quia eo modo nobis communicatur iſta gratia, ut ab initio ad finem negotium pendeat à mera bonitate Dei.

Uſus 1. *Informationis*, ut bonitatem aut benignitatem Chriſti, non aliunde niſi ex Evangelii verbo judicemus, qualis aut quanta ſit; non enim debemus imaginari, ut multi ſolent per bonitatem Dei bene nobis fore, quamvis in peccatis maneamus ſine reſipiſcentia, & converſione ad Deum: talis benignitas in Evangelio non revelatur.

Uſus 2. *Inſtitutionis*, ut divitias illas benignitatis gratiæ Chriſti, quæ in Evangelio revelatur, in ſumma admiratione ſemper habeamus, Pſal. 26, 8.

Uſus 3. *Exhortationis*, ut cum omni deſiderio, delectatione, & gaudio excitemus noſmetipſos in auditione & meditatione Verbi Dei, Pſalm. 27.4. & 65 5 & 119.103. hoc nomine comparatur uſus Verbi Evangelii convivio Regis, in quo omnia ſunt plena ſuavitatis & delectationis, Pſal. 25. 6. Phil. 3. 4. Lucæ 14. 17.

Docum. IX. *Bonitas iſta Chriſti in Evangelio proponitur nobis guſtanda.*

Colligitur ex Pſalm. 34.9. *Guſtate & videte*, id eſt; ut ita à nobis apprehendatur per fidem, ut internum ſenſum & experientiam habeamus efficaciæ ejus virtutis.

Ratio 1. Quia in Evangelio vocamur ad intimam unionem & communionem cum Chriſto, ita ut ille ſit nobis panis & cibus noſter ſpiritualis, ita guſtandus & commedendus per fidem, ut cedat nobis in ſpirituale alimentum noſtrum.

2. Quia conſolatio noſtra pendet ex eo, ſi ſentiamus in nobis metipſis ſaporem Chriſti, quaſi ſaporem vitæ, ad vitam, 2 Cor. 2. 14.

3. Quia efficacia Chriſti in allicienda aut trahendis animabus noſtris ad ſemetipſum, in eo magna ex parte conſiſtit, quod bonitatem & amorem ejus quaſi guſtu perceptum habeamus, Gal. 2. 20. 2 Cor. 5. 14.

Uſus 1. *Increpationis*, adverſus illos qui non utuntur Verbo Dei, tanquam cibo guſtando & commedendo, ſed ex conſuetudine tantum & pro forma, vel ſaltem habent pro re intelligenda vel diſputanda, ſed non guſtanda.

Uſus 2. *Exhortationis*, ut omni cura & ſtudio comparemus nos, ut conſervemus guſtum iſtum Chriſti bonitatis ex Evangelio: hoc enim proprium eſt regeneratorum, ut è textu liquet: atque adeo eſt ſignum ſalutis. Dicuntur quidem homines quidam non regeniti guſtare donum cœleſte, bonum Dei verbum, & virtutes futuri ſæculi, Ebræ. 6. 4, 5. ſed hoc fit 1. Per ſingularem quandam operationem Spiritus Dei, a quo tales homines illuminantur & afficiuntur ſupra ſortem vulgarem irregenitorum. 2. Ad breve aliquod temporis momentum fit, non conſtanter. 3. In irregenitis eſt levis tantum animi commotio non affectio radicata. 4. Eſt vel tantum futuræ gratiæ, quæ etiam apprehenditur ſolummodo humana ſpe & incerta, vel eſt præſumptio ſine fundamento: ſed fidelium guſtus eſt gratiæ non tantum futuræ, ſed etiam præſentis certitudine divina ex operatione Spiritus Sancti, &

ex

ex ſolida fide & reſipiſcentia oriundæ.

Docum. X. *Regeniti in principio, quamvis vere ſint fideles, guſtum tantum habent bonitatis Dei, non plenam comprehenſionem.*

Colligitur ibid.

Ratio 1. Quia ſunt nuper regeniti infantes, atque adeo infirmi.

2. Quia Deus gradatim ſuos deducere ſolet ad perfectionem; ita ut primò partem aut primitias bonitatis ejus percipiant, & poſtea totam habent quaſi in ſuis cordibus diffuſam.

3. Quia in initio carent experientia illa; qua poſtea bonitas Dei perfectius ipſis innoteſcit.

4. Quia ſæpe etiam aliqua negligentia obrepit; quâ fit non utantur mediis gratiæ cum illo affectu quo debent ut innuitur in textu, cum excitantur ad Verbum Dei magis expetendum.

Uſus 1. *Conſolationis*, adverſus terrores, qui piis animabus nonnunquam oriuntur, ex eo quod tam exiguam menſuram habent pacis, gaudii & ſimilium fructuum Spiritus, qui pertinent ad bonitatis Dei erga ſe perceptionem: debent enim intelligere exiguam tantum menſuram hujus gratiæ à fidelibus ab initio ſolere ſentiri.

2. *Exhortationis*, ut eo magis aſpiremus ad ſtatum perfectionis, & non acquieſcamus in initiis iſtis parvis.

Docum. XI. *Guſtus ille gratiæ Dei, quam habemus aut habuimus excitare nos debet ad eandem gratiam magis magiſque expetendam & quærendam.*

Colligitur ex connexione verborum cum antecedentibus.

Ratio 1. Quia illum in finem datur iſte guſtus hujus gratiæ, ut excitet appetitum.

2. Quia contumelia quadam afficitur bonitas ipſa Dei, ſi poſtquam guſtata fuit negligatur: atque adeo gravius hoc nomine peccant ii, qui cum guſtarunt gratiam parvi faciunt, quam qui ex ignorantia nihil eam curant.

Uſus 1. *Increpationis*, adverſus eos qui charitatem ſuam primam amiſere, Apoc. 2. 4.

2. *Exhortationis*, ut in meditando de bonitate Dei in Chriſto, & de ejus olim ſenſu experientiaque, quam Deus nobis conceſſit, animos noſtros accendere conemur, omni deſiderio ejuſdem gratiæ plenius adhuc percipiendæ, atq; adeo mediis omnibus religioſe intendere, quibus ea ſolet hominibus communicari.

Docum. XII. *Primarium officium Chriſtianorum, quo etiam fiunt Chriſtiani, eſt accedere ad Chriſtum.*

Colligitur ex v. 4. Accedere autem ad Chriſtum, nihil aliud eſt quam vera fide ac fiducia Chriſto adhærere: ſic & Iohan. 6 35. *qui venit ad me*, & *qui credit in me*. Eodem ſenſu ponuntur, Iohan. 5. 40. 43. 44. *venire ad Chriſtum, recipere Chriſtum*, & *credere*, unum & idem ſonant, Ebræ. 10. 22. Accedere dicimur per certioratam fidem.

Ratio 1. Quia ſalus noſtra pendet ex unione illâ quam habemus cum Chriſto unde etiam eſt, quod accedere dicimur ad Chriſtum, ut vitam habeamus, Joh. 5. 40.

2. Quia nos ex natura noſtra alieni ſumus & longe remoti à Chriſto & ſalute per illum partâ: atque etiam poſtquam vocati ſumus

mus ad Christum, non ita perfecte conjuncti sumus.

3. Quia tota pietas Christiana nihil aliud est, quam continuatio & renovatio hujus accessus ad Christum, & per Christum ad Deum. In auditione verbi accedimus ad Christum, tanquam ad Doctorem, in precibus tanquam ad advocatum, In Cænæ Dominicæ administratione accedimus ad eum tanquam ad regii & nuptialis convivii autorem, Matth. 22. Cætera autem omnia officia ita pendent ex istis, ut quales nos in hisce probemus, tales in aliis simus necesse sit.

4. Quia vocamur & incitamur à Christo, præcipue ad hoc, ut ad ipsum accedamus, Matth. 11, 28. Ioh. 7. 37.

Usus 1. *Ad arguendum* illos omnes mortis & peccati qui vel nullam cognitionem habent Christi, vel non dant operam, ut secundum illam cognitionem, quam habent, accedant ad ipsum & participent ipsius gratiam.

2. *Refutationis*, Pontificiorum & similium qui abducunt hominem à Christo ad sanctos Angelos, Pontificem Romanum & ad semetipsos.

3. *Exhortationis*, ut Christum semper proponamus nobis quasi metam & scopum, Phil. 3. 2. &c.

Docum. XIII. *Accedendum est ad Christum tanquam ad lapidem vivum.*

Colligitur ex v. 4. dicitur autem *Lapis* Christus, propter firmissimam illam virtutem; quæ totius Ecclesiæ ædificium sustentat, Zach 4, 7, 10. *Vivus* autem lapis vocatur, quia virtus illa quâ Ecclesiam sustentat est vivificans, & ædificio toti communicat vitam spiritualem & æternam, Ioh. 5. 26.

Ratio 1. Quia omni vita & principio ac fundamento vitæ orbati fuimus per peccatum neque aliunde nobis restitui potest quam in Christo.

2. Quia nisi sub hac ratione ad Christum accedimus, non amplectimur eum prout à Deo est constitutus, & nobis propositus; atque adeo non tenemus Christum verum, sed fictum & imaginarium quendam.

3. Quia fides nostra non potest acquiescere, nisi in eo qui habet istam firmam virtutem vivificandi, fides enim quærit vitam ex principio firmo & non fallenti.

Usus 1. *Refutationis*, adversus blasphemiam illam Pontificiorum, qui Pontificem Romanum emortuum lapidem volunt est Petram aut lapidem illum, super quem ædificatur Ecclesia. Petrus enim cujus nominis prætextu hoc sibi vendicant Rom. Pont. nunquam hortatus est fideles, ut ad se accederent tanquam ad lapidum vivum, sed ad Christum tantum, atque adeo ipse Petrus hisce verbis nobis explicat, quæ mens fuerit Christi, Matth. 16. 18. cum dixit: *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*, id est, super lapidem istum vivum quem Petrus tum temporis confitebatur esse Filium Dei viventis, id est, lapidem vivum Petrus autem & Apostoli dici possunt cum Prophetis fundamentum Ecclesiæ per metonymiam adjuncti pro subjecto: quia posuerunt & prædicarunt Christum tanquam fundamentum verum, Eph. 2. 20, 21. sed Pontifices Romanenses nullo alio nomine possunt hoc sibi vendicare, nisi quod sint lapides offensionis & ruinæ.

2. *Institutionis*, ut ex Christo pendeamus toti cum omni fiducia.

3. *Exhor-*

3. *Exhortationis*, ut cum omni gaudio & exultatione prosequamur ædificationem Ecclesiæ super Christum, acclamantes, ut est in Propheta: *Gratia gratia ei.*

Docum. XIV. *Christus ab hominibus reprobari solet, dum nolunt ad ipsum accedere tanquam ad lapidem vivum.*

Colligitur ex v. 4. Psal. 118. 22. Luc. 2. 34.

Ratio 1. Quia non habent externam illam speciem & pompam qua afficiuntur homines naturales, Isa. 53. 3. 1 Cor. 1. 22, 23.

2. Quia cæci sunt homines natura sua, ita ut non percipiant suam propriam miseriam extra Christum neque salutem illam quæ in Christo offertur, 1 Cor. 2. 14.

3. Quia semetipsos nimium amant & sibimet fidunt, ita ut non possint ferre illam doctrinam de Christo; quia vocantur ad se abnegandos ac deserendos, ut in Christo solo fiduciam collocarent.

Usus 1. *Informationis*, ne quidquam tribuamus mundo in iis quæ pertinent ad Christum.

2. *Admonitionis*, ne animos nostros perturbati sinamus ex eo, quod mundus sit alienus à Christo & vera fide.

3. *Exhortationis*, ut patientibus & æquis animis feramus, si nos ab hominibus reprobamur; quia servus non major est suo domino.

4. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ne ulla ex parte communicemus cum improbo mundo in reprobatione Christi.

Docum. XV. *A Deo Christus est electus & constitutus, ut sit nobis in maximo precio.*

Colligitur ex vers. 4. hoc autem sic intelligi debet, ut complectentur & prædestinationem Christi, & missionem ejus, atque unctionem cum omnibus testimoniis illis, quæ divinitus huic mysterio præbita fuerunt.

Ratio 1. Quia amor & misericordia Dei tantus est erga nos, sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum, &c. Ioh. 3. 16.

2. Quia in Christi obedientia Deus acquievit, Matth. 3. 16.

3. Quia omnia illa per Christum perficiuntur, quæ pertinent ad nostram salutem Deique gloriam summam.

Usus 1. *Informationis*, quod hoc debemus pro certo & explorato habere, quod quomodocunque mundus se opponat Christo, Christus tamen prævalebit & in æternum regnabit, quia est electus à Deo.

2. *Consolationis*, erga omnes fideles qui in Christum confidunt, quoniam in eum credunt, qui est electus à Deo, ut servet ipsos.

3. *Exhortationis*, ut in omnibus nostris studiis, de cursu vitæ totius ostendamus, Christum nobis esse pretiosum supra omnia, Phil. 3. 8. Proverb. 8. 11, 12.

Docum. XVI. *Fideles Christo sunt viva membra ejusdem ædificii, cujus Christus est fundamentum.*

Colligitur ex v. 5. principio.

Ratio 1. Quia Christus una cum omnibus fidelibus constituit unum corpus mysticum, 1 Cor. 12. 12.

2. Quia in isto corpore constituti participant etiam ipsam Christi vitam, Eph. 4. 16.

3. Quia istam vitam aut virtute exerunt aut exercent in fructibus congruentibus proferendis, Ioh. 15. 12.

Usus

Usus 1. *Consolationis*, ut dignitatem hujus conditionis rite æstimantes, conservemus animos nostros adversus omnes molestias, quæ possent nobis in eadem contingere.

2. *Exhortationis*, ut nos ita geramus uti decet eos, qui sunt vocati ad participationem vitæ Christi.

Docum. XVII. *Per illam unionem quam habent cum Christo omnes fideles, sunt spiritualiter templa, sacerdotes & sacrificia Deo accepta.*

Colligitur ex vers. 5.

Ratio 1. Quia Deus singulari quodam modo præsens est, & habitat in ipsis per spiritum gratiamque in templo suo, 2 Cor. 6. 16.

2. Quia ipsos aptos & promptos reddit per Spiritum eundem ad illa officia coram ipso præstanda, quæ sunt ipsi gratiora, quam ulla unquam fuerunt externa, Psal. 51. 18, 19, Ebr. 13. 16.

3. Quia in istis officiis coram Deo representandis seipsos totos offerunt & consecrant Deo.

Usus 1. *Admonitionis*, ut congruentem habeamus curam ne templum Dei violemus, 1 Cor. 3. 16, 17. ne sacerdotium nostrum Deo sit indignum & ne sacrificia nostra sint mutila, manca, & ingrata Deo.

2. *Exhortationis*, ut nos ipsos totos Dei gloriæ & cultui ejus addicamus, Deus enim in propinquis suis vult sanctificari, Lev. 10. 3.

3. *Refutationis*, adversus Pontificios, qui Christianos hac dignitate spoliarunt, & carnalia templa, sacerdotia & sacrificia loco spiritualium Deo & hominibus obtruduntur.

Docum. XVIII. *Officia illa quæ in Christo præstamus accepta sunt Deo per Christum.*

Colligitur ex v. 5. in fine, accepta autem sunt non tanquam merita, sed tanquam sacrificia laudis & gratiarum actionis, ut innuitur in textu.

Ratio 1. Quia per Christum nosmetipsi vel personæ nostræ sunt Deo reconciliatæ, & in eorum ordinem admissæ quos Deus approbat, & à quibus coli vult & delectatur.

2. Quia infirmitates nostrorum conatuum per Christum obvelantur.

3. Quia per ejus intercessionem nostra officia Deo commendantur.

Usus 1. *Consolationis*, adversus conscientiam infirmitatum nostrarum & indignitatis, quâ omnia nostra laborant.

2. *Exhortationis*, ut cum omni alacritate officiis pietatis incumbamus; quia labor noster non inanis erit in Domino, 1 Cor. 10, 11.

Docum. XIX. *Idem Christus eodem modo fuit Servator, tam in Veteri quam in N. Testamento.*

Colligitur ex v. 6.

Ratio 1. Quia fuit agnus occisus ab initio mundi quoad decretum, promissionem, acceptationemque Dei, & quoad fidem ac spem piorum, Apoc. 13. 8.

2. Quia una est Ecclesia Catholica ex omnibus constans fidelibus ab initio mundi, Ebr. 12. 23.

Usus 1. *Refutationis*, adversus eos qui populum Israelis vel plane carnalem statuunt, vel in observationibus legis salutem habuisse.

2. *Exhortationis*, ut confugiamus ad Christum in ipsoque fiduciam nostram locemus, in quo fiduciam & salutem habuere omnes fideles à mundi creatione.

Docum. XX. *Christus in ædificio*

Ecclesiæ est quasi lapis angularis.

Id est, conjungit, sustentat, & dirigit omnes ædificii partes, vel Ecclesiæ membra.

Ratio 1. Quia est principium vel fundamentum Ecclesiæ.

2. Quia unos facit populos antea maxime divisos, Iudæos & gentes.

3. Quia est regula vel norma directionis in omni structura vel ædificatione, quæ tendit ad salutem.

Usus 1. *Refutationis*, adversus blasphemiam illam Pontificiorum, qua suum Pontificem statuunt caput Ecclesiæ atque hunc ipsum titulum & verba eo torquent.

2. *Directionis*, ut in directione animarum nostrarum versus æternam salutem, toti pendeamus à Christo.

Docum. XXI. *Nihil quicquam est quod dignitate, usu & pretio possit comparari cum Christo Servatore nostro.*

Colligitur ex titulis illis: *electi & pretiosi.*

Ratio 1. Propter dignitatem personæ ejus.

2. Propter operationis ejus efficaciam, in satisfactione, merito, & applicatione eorum quæ pertinent ad salutem.

3. Propter excellentiam & aptitudinem fructuum, qui ad Ecclesiam per ipsum redundant.

Usus Admonitionis, ne vulgare aliquid de Christo cogitemus unquam aut in vulgari aliquo affectu circa ipsum acquiescamus; sed contendamus omnibus viribus ad illam ejus apprehensionem, quam dignitas & pretium ejus meretur.

Docum. XXII. *Nemo vere credens in Christum unquam pudefiet, ceu non excidet aut frustrabitur expectatione sua, non frustra erit in suo desiderio & fiducia.*

Ratio 1. Quia à Deo statutus est Christus, Servator eorum qui credunt in eum certo decreto & immutabili.

2. Quia omnis potestas data est ipsi Christo in cœlo & terra.

Usus Consolationis, adversus omnes terrores, & dubitationes, quibus fides nostra posset debilitari.

Docum. XXIII. *Fideles à Christo non tantum liberantur à miseria, sed & maximo honore afficiuntur.*

Colligitur ex v. 7. principio.

Ratio. Quia participes fiunt honoris Christi, in ipso enim reddunturfilii Dei hæredes regni æterni, sacerdotes & reges spirituales.

Usus 1. *Increpationis*, adversus cæcitatem & tarditatem nostram, qui honorem istum non discernimus & æstimamus ut oportet, sed magis quam par est afficimur honoribus hujus mundi.

2. *Exhortationis*, ut de Christo & honore illo, quem in ipso habemus pie ac serio gloriemur, quamvis propter ipsum multis contumeliis ab impio mundo afficiamur.

Docum. XXIV. *Sicut Christus est fidelibus honori & saluti, ita & infidelibus est confusioni & perditioni.*

Colligitur ex v. 7. Psal. 118. 22. Isai, 8. 14. Matth. 21. 24. Similitudo autem ista non convenit in omnibus: Nam 1. proprius finis Christi Servatoris est, ut hominem servet, non ut perdat. 2. Christus est causa fidei in credentibus, sed non est causa infidelitatis in non credentibus, quamvis aliquid Christi possit esse occasio infidelitatis;

sicut

ſicut humiliatio ipſius fuit tam Iudæis quam gentibus multis. 3. Salutem promeretur Chriſtus fidelibus, non ipſi; perditionem autem merentur infideles non Chriſtus: ſed tamen Chriſtus vere dicitur eſſe confuſioni infidelibus & perditioni. 1. Quatenus Scandalum accipiunt ab ipſo, & inde ruunt in ſuam propriam perditionem. 2. Quatenus ut juſtus judex totius mundi juſtum judicium in ipſorum infidelitatem, & impietatem exercet.

Ratio 1. Quia infideles illi quibus Chriſtus offertur, dum benignitatem ejus contemnunt, directe quaſi provocant eum, & ſibi accerſunt ejus ſeveritatem.

2. Quia gloria Dei & Chriſti hâc ſolâ ratione conſervatur, dum inimici ejus pedibus ipſius ſubjiciuntur.

Uſus 1. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omni infidelitate.

2. *Exhortationis*, ut etiam ex iſta comparatione fidelitatis noſtræ cum infidelium miſeria, gratis animis Deo gloriam tribuere diſcamus in Chriſto Ieſu; propter iſtos fines inſeritur hac amplificatio in textu.

Docum. XXV. *Ad iſtam confuſionem & perditionem perveniunt homines impingendo in doctrinam Evangelii.*

Colligitur ex v. 8. Impingunt homines ad ſermonem Evangelii, quando apprehendunt Evangelium tale eſſe, ut aſſenſus & ſubjectio illi non debeatur: ſic Judæi offenſi fuerunt ad infirmitatem Chriſti crucifixi, 1 Cor. 1. 2, 3. & Græci ad ſtultitiam ſermonis illius qui ſalutem affert. ibid. Iudæi etiam ſicut & Pontificii cum pleriſque aliis offenduntur eo, quod Evangelium ab ipſis exigat, ut juſtitiam ſuam & opera deſerentes juſtitiam quærant in Chriſto, Rom. 9. 32.

Ratio 1. Quia hæc offenſio eſt cauſa infidelitatis.

2. Quia non ſimplicem tantum infidelitatem producit, ſed infidelitatem cum contemptu, ita ut Chriſtum afficiant injuria ſingulari.

Uſus admonitionis, ut caveamus nobis ne ulla ex parte impingamus ad verbum Dei, aut quicquam in animis noſtris admittamus, quo ab illo poſſumus vel minima ex parte abalienari.

Docum. XXVI. *Infidelitas & confuſio impiorum non contingit fortuito, ſed ſecundum ſanctiſſimam & certiſſimam Dei præordinationem.* Colligitur ex illis verbis: *ad quod etiam præordinati fuerunt.*

Ratio 1. Quia Deus & Rex eſt & Dominus omnium viventium, ita ut nihil poſſit ipſis accidere contra ipſius voluntatem.

2. Quia nulla poteſt fingi cauſa infidelitatis, quam Deus non præſcivit, vel quam non potuit impedire.

3. Quia nos etiam qui credimus æque ſumus alieni à fide atque illi, neque nos differentiam inter nos & illos poſuimus, ſed Deus.

Uſus Directionis, ne aliorum quorumcunq; infidelitas noſtram fidem labefactet, debemus in diſpenſatione gratiæ & ordinatione rerum, gloriam tribuere Deo conſilii & viarum imperveſtigabilium.

Docum. XXVII. *Debemus etiam atque etiam ad animum revocare dignitatem illam, ad quam vocati ſumus in Chriſto, idq; in comparatione ad miſeriam illam in qua infideles omnes demerguntur.*

Colligitur ex repetitione illa, verſic. 9. quæ comparative adhibetur per diſſimilitudinem ad ſtatum infidelium, antea deſcriptum, ut indicatur iſta vocula *autem*.

Ratio 1. Quia vocamur ad gaudium ſpirituale quod hac ratione præcipuè fovetur.

2. Quia pertinet hoc ad gratitudinem quam Deo debemus.

3. Quia alacres nos reddit ad omnia officia præſtanda, ut digni ſimus tam præclara vocatione.

Uſus Exhortationis, ut iſtam contemplationem nobis familiarem reddamus.

Docum. XXVIII. *Finis noſtræ vocationis eſt, ut prædicemus virtutes Dei, qui nos vocavit.*

Colligitur ex v. 9. id eſt, ut Deo gloriam tribuamus, quam nobis exhibuit 1. Interna cogitatione & affectu cordis. 2. Verborum & ſermonis profeſſione. 3. Actionibus ipſis & totius vitæ converſatione, hoc eſt ſanctificare Deum, Iſa. 8. 13.

Ratio 1. Quia hæc eſt illa gloria, quæ Deo poſſit a nobis, aut ex vocatione noſtra redundare.

2. Quia ipſa noſtra vocatio huc tendit, ut ad Deum convertamur, Deum quæramus, Deum glorificemus.

3. Quia hoc eſt nobis maxime optabile & utile.

Uſus 1. *Reſutationis*, adverſus eos qui nihil minus curant: oſtendunt ſe nondum participes eſſe vocationis efficacis.

2. Ut magis magisque nos excitemus ad illud officium explendum.

Docum. XXIX. *Status ille in quem transferimur per vocationem noſtram, eſt ſtatus admirabilis lucis.*

Colligitur ex Ioan. 2. 8. Lux autem vocatur & propter mentis illuminationem, quam affert; & propter cordis conſolationē, quam inde percipimus: admirabilis autem dicitur, quia longe ſuperat omnem ſcientiam malorum & facultatem mundanam, & omne illud quod concipere poteſt homo naturalis.

Uſus Exhortationis, ut congruenter afficiamur illa luce, & verſemur in illa non vulgariter, ſed admirabiliter.

Docum. XXX. *Utiliſſimum ſemper eſt comparare ſtatum præſentis felicitatis, cum miſeria præterita.*

Colligitur ex v. 10.

Ratio 1. Quia contraria juxta ſe poſita magis elucescunt.

2. Quia facit ad humilitatem.

3. Quia facit ad commiſerationem aliorum, & lenitatem erga ipſos adhibendam, Tit. 3. 2, 3, 4.

4. Quia maxime accendit gratitudinem in animis noſtris erga Deum, 1 Tim. 1. 12, 13.

Uſus admonitionis, ne per oblivionem nobis unquam effluere ſinamus apprehenſionem miſeriæ illius quæ nobis imminebat.

Verſ. 11, 12.

Dilecti, precor ut tamquam inquilini & advenæ abſtineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, converſationem veſtram habentes honeſtam inter Gentes:

Ut pro eo quod obloquuntur vobis ut facinoroſis, ex bonis operibus quæ ſpectârint, glorificent Deum in die viſitationis.

ANA-

ANALYSIS.

HOrtatur Apoſtolus generaliter ad illam vitam ducendam, quæ ſtatui & fœlicitati antea commemoratæ reſponderat; illa autem vita ex duabus partibus conſtat: quarum una eſt fuga mali, *abſtine à carnis cupiditatibus*; altera eſt proſecutio boni, *converſationem veſtram habentes honeſtam*. Quarum prima ſuadetur. A diſſenſione illa quam habent pii cum carnalibus cupiditatibus hujus mundi ratione ſuæ conditionis & ſtatus, quoniam in hoc mundo ſunt inquilini & advenæ, atque adeo non in hoc mundo, ſed in altero debent ſua corda & deſideria habere defixa. 2. A periculo quod imminet ipſis à cupiditatibus hujus mundi, quia tendunt in perniciem animarum, his verbis, *quæ militant adverſus animam*, ſecunda pars unà cum priori ſuadetur ab illis teſtibus quos debent in converſatione ſpectare; inter gentes, in quorum teſtimonio duplex fructus oſtenditur ex honeſta converſatione ſecuturus. 1. quod deſinent obloqui ipſis ut facinoroſis. 2. Quod ſpectantes ipſorum bona opera non tantum honeſtum teſtimonium ipſis præbebunt, ſed eriam propter ipſos glorificabunt Deum; qui fructus declaratur ab adjuncto temporis quo debent expectari, ſcilicet *in die viſitationis*: hæc autem exhortatio tota ut eſſet efficacior & ipſis gratior, duplici exornatur affectu, in modo proponendi, dilectionis aut charitatis, in illo titulo qui ipſis tribuitur: *dilecti*, & humilitatis quod non tam præcipit iſta, quam precatur: *precor*.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Fideles omnes ſunt inquilini & advenæ in iſthoc mundo.*

Ratio 1. Quia patrem & patriam non hic, ſed in cœlo habent.

2. Quia non cupiunt hic diu manere.

3. Quia opes & amicos non habent in hoc mundo.

4. Quia a mundo habentur pro peregrinis, eoque quod eorum converſatio non eſt ex conſuetudine mundi.

Uſus 1. *Admonitionis*, ne hæreditatem noſtram aut thetaurum in rebus mundanis locemus.

2. *Exhortationis*, ut corda noſtra ſemper elevemus verſus patriam cœleſtem & omnia illa comparemus nobis quibus iter in illam fœliciter poſſit promoveri.

Docum. II. *Fideles omnes abſtinere debent à carnis cupiditatibus.*

Hæ autem phraſi non tantum deſignantur inclinationes corporeæ, ſed omnes illæ quæ pertinent ad veterem hominem: eſt enim aliquid ſanctificandum in ipſo ſpiritu mentis noſtræ, 1 Theſ. 5. 23, atque adeo aliqua carnis cupiditas ſedem ſuam habet in ſpiritu; iſtæ autem cupiditates generaliter dicuntur eſſe carnis, quia in illis quæ pertinent ad corpus & carnem communiter maxime ſolent manifeſtari: quoniam pleriquę mortalium nihil fere curant aut quærunt præter illa quæ pertinent ad vitam præſentem.

Ratio 1. Quia caro cum cupi-

ditatibus ejus crucifixa fuit cum Christo.

2. Quia fideles omnes in baptismo & professione sua carnem abnegarunt.

3. Quia cupiditates sunt seductiones, Ephes. 4. 22.

4. Quia tendunt ad mortem, Gal. 6, 8. Rom. 8. 6 13.

Usus Admonitionis, ut huic studio inprimis incumbamus.

Docum. III. *Cupiditates carnales militant adversus animam.*

Ratio 1. Quia animæ perfectionem, quæ in imagine Dei consistit, corrumpunt.

2. Quia Spiritum Sanctum, ex quo pendet animæ consolatio vel extinguunt, vel contristant, Eph. 4. 30. 1 Thes, 5. 19.

3. Quia mortem animæ operantur & ad eam tendunt.

Usus 1. *Directionis*, ut militiam spiritualem perpetuo cogitantes congruenter in omnibus nos geramus, uti decet bonos milites Christi.

2. *Admonitionis*, ut vel maxime caveamus ab hostibus illis quos habemus in nobis ipsis, externi hostes non possunt nobis ullo modo nocere, nisi ab internis perdamur, & quasi in ipsorum manus tradamur.

Docum. IV. *Abstinendo à carnalibus cupiditatibus conversatio redditur honesta.*

Ratio 1. Quia omnis turpitudo provenit a cupiditatibus carnis.

2. Quia verus honor & honestas hominis, est in illa spirituali victoria quam consequitur in semetipso.

3. Quia superatis cupiditatibus istis facilis redditur via ad omnes virtutes & officia præclara.

Usus 1. *Refutationis* & *Redargutionis*, adversus eos qui honorem & dignitatem quandam ex eo captant quod suis geniis indulgent & cupiditatibus suis obsequuntur.

2. *Exhortationis*, ut hoc ipso nomine cum omni alacritate opponamus nos cupiditatibus carnis, quia res est honestissima.

Docum. V. *Honestas à fidelibus debet curari, non tantum inter fideles; sed etiam, inter infideles gentes.*

Colligitur ex illis verbis, *inter gentes*, quod tamen ita debet intelligi, ut non consectemur omnia quæ ipsis videntur honesta, neque ut omittamus quæ ipsis displicent, sed ut tantum evidentiam veram pietatis, charitatis & justitiæ in conversatione nostra exhibeamus. Deinde ut inde ex ipsorum conscientiis possit evinci viam illam, quam sequimur illa ex parte saltem esse laudandam ac probandam.

Ratio 1. Quia debemus hoc Deo & ejus gloriæ.

2. Quia nobismetipsis & nostræ consolationi.

3. Quia ipsis infidelibus & ipsorum ad veram pietatem invitationi.

Usus Refutationis, & *Redargutionis*, adversus eos qui contemnendo famam contemnunt virtutes.

Docum. VI. *Proprium est infidelium occasionem captare obloquendi fidelibus, ac si essent factiosi.*

Colligitur ex vers. 12. principio. Istiusmodi autem oblocutionum duo sunt genera, 1. cum omnia mala dicunt propter Christum, fidem, & justitiam, cap. 4. vers. 14. Mat. 5. 11. 2. quando occasionem aliquam inveniunt in defectibus fidelium, & aliquid observant in eorum moribus, quod jure possunt accusare. Hoc etiam duplicem admittit differentiam, nam aliquando

eorum

eorum qui veram fidem profitentur talis est impietas, ut scandalum præbeat infidelibus, Roman. 2. 24. aliquando occasio arripitur ex infirmitatibus fidelium communibus professionem eorum condemnandi.

RATIO I. Quia inveterata est inimicitia inter filios lucis & filios tenebrarum.

II. Quia homines hac ratione sibi blandiuntur, & aliquo modo meliores ac tutiores videntur, cum alios qui meliores videri volunt, vel sibi similes vel pejores faciunt.

III. Quia hac ratione doctrinæ ipsi pietatis, quam impii odio prosequuntur, aliquod præjudicium sibimet afferre videntur.

USUS *Admonitionis*, 1. ut maxime nobis caveamus ne in ista perversitate communionem aliquam habeamus cum infidelibus, id est, ne libenter quæramus & arripiamus occasionem obloquendi piis, est enim hæc certa impietatis nota. 2. ut caveamus etiam ne occasionem præbeamus impiis, nobis aut professioni nostræ obloquendi.

DOCVM. VII. *Bonis operibus tantum obstruuntur, & obturantur impiorum ora.*

Colligitur ex v. 12. in medio.

RATIO I. Quia homines præcipue infideles nullum judicium de nobis ferre possunt, nisi ex operibus quæ vident.

II. Quia syncritas religionis in operibus proprie manifestatur.

USUS *Exhortationis*, ut bonis operibus perpetuo studeamus.

DOCUM. VIII. *Bonis operibus fidelium efficitur, ut alii etiam glorificent Deum*, Matth. 5. 16.

RATIO I. Quia hac ratione convincuntur de veritate religionis, cujus auctor est Deus.

II. Quia alliciuntur etiam ad eandem religionem amplectendam, & ad Deo adhærendum.

III. Quia promoventur & excitantur ad gratias agendum de illis, quæ media fuere suæ conversionis.

USUS *Exhortationis*, ut hoc argumento excitemus nos ipsos, & animemus ad omne studium bonorum operum, quia non tantum faciunt ad nostram salutem, sed etiam ad gloriam Dei.

DOCVM. IX. *Expectandus est dies visitationis, ut in eo Deus glorificetur ab hominibus.*

Colligitur ex vers. 12. in fine, dies autem visitationis intelligitur vel in judicio, vel in gratia & misericordia. Hic de gratia Dei, Luc. 1. 60.

RATIO. Quia sine gratia nulla est inclinatio in corde hominis ad Deum glorificandum. Arbor debet esse bona ut fructus bonos ferat, non colliguntur ex spinis uvæ aut ex tribulis ficus, Matth. 7. 16. 17.

VSVS *Admonitionis*, ut omni patientia & lenitate uramur adversus impios, modo non desumus officio in eorum conversione quærenda, 2. Timoth. 2. 25.

Vers. 13. usque ad 18.

Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive regi, ut supereminenti:

Sive præsidibus, ut qui per eum mittantur: tum ad ultionem facinorosorum,

tum ad laudem bene agentium.

Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo os obstruatis despicientium hominum ignorantiæ.

Ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed ut servi Dei. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorate.

ANALYSIS.

IN istis verbis particularis illa pars obedientiæ docetur, quæ singulariter pertinebat ad honestatem fidelium inter gentes, id est, subjectio erga magistratus, quam nonnulli tunc temporis abjicere incipiebant, tanquam alienam à libertate Christiana, hæc autem subjectio 1. generaliter præcipitur & dirigitur, ut præstetur ex religione erga dominum, vers. 13. 2. per distributionem objecti quod scilicet non tantum regi, & supereminenti magistratui debet præstari, sed etiam præsidibus ab eo missis, vers. 13. 14 3. suadetur 1. à fine hujus ordinationis, quod nempe sit ad reprimendos malos, & bonos conservandos & fovendos, v. 14. in fine. 2. ab efficiente causa vel imperio Dei, vers. 15. 3. à fine & fructu hujus subjectionis præstitæ, ut scilicet obstruatur os inimicorum, quæ describuntur per suam ignorantiam & desipientiam, vers. 15. 4. removetur objectio quæ potuit in contrarium afferri de libertate Christianorum, vers. 15 ubi distinguitur inter libertatem fictam, quæ conjungitur cum malitia, & libertatem veram, quæ addictos homines reddit servituti Dei: quod autem ista subjectio erga superiores pertinet ad servitutem Dei, ostenditur, vers. 17. brevi repetitione eorum præceptorum, quæ ad hoc, & similia officia spectant.

QVÆSTIO.

Quare Magistratus nominatur ordinatio humana, vers. 13. cum omnes potestates sint à Deo ordinatæ & omnis potestas sit ordinatio Dei, Roman. 13. 1. 2.

RESP. Superioritas potestatis vel ipsa gubernatio est simpliciter & absolute à Deo mandata, & illo respectu vocatur ordinatio Dei, sed hic aut ille singularis modus potestatis aut gubernationis non est à Deo determinatus, sed ab hominibus: & ideo vocatur *ordinatio humana*, quæ tum quoad omnem illam naturam quam in se habet vocari etiam potest ordinatio *divina*: & hæc est differentia inter munus Ecclesiasticum & Civile. Ecclesiasticum non est legitimum nisi sit ab ipso Deo directe determinatum, atque adeo non potest ab hominibus mutari: sed Civile hoc vel illud potest ab hominibus institui & mutari. Ratio differentiæ est quod in spiritualibus Deus & Christus solus habet dominium & potestatem; in civilibus vero homines etiam sunt Dei, quamvis non absoluti.

DOCVMENTA.

DOCVM. I. *Officia justitiæ erga homines maxime commendant religionem nostram erga Deum.*

Colligitur ex connexione horum verborum cum antecedentibus in illa

illa particula *proinde*, Jacob. 1. 27.

Ratio I. Quia ſunt effecta religionis, virtus autem cauſæ ſemper apparet in effecto.

II. Quia magis incurrunt in oculos hominum, quam religio quæ eſt ipſa cauſa.

III. Quia animos hominum alliciunt ad probationem religionis iſtius unde proveniunt.

Uſus Exhortationis, ut iſtiuſmodi officiis ex religione ſtudeamus.

Docum. II, *Civilis ſubjectio erga gubernatores civiles eſt adhibenda propter Dominum.*

Colligitur ex verſ. 13.

Ratio I. Quia Dominus conſervat ſocietates humanas per iſta media.

II. Quia gubernationes iſtæ ſunt media gloriæ Dei, qua tendunt ſaltem ad partem voluntatis Dei aliquam perficiendam.

III Quia ſua natura & per ſe faciunt pro bonis & adverſus malos, verſ. 14.

Uſus refutationis, adverſus Anabaptiſtas & alios, qui ex conſcientia non ſubjiciuntur magiſtratui.

II. *Admonitionis*, ne ſubjiciamus nos unquam ita hominibus, ut propter ipſos negligamus officium noſtrum erga Deum, quia ipſis ſubjici debemus propter Dominum, & proinde longe major ſubjectio Domino debetur, quam illis.

Docum. III. *Iſtiuſmodi officiis bona Dei voluntas obſervatur, & inſipientia malevolorum hominum reprimitur.*

Colligitur ex verſ. 15.

Ratio I. Quia ſervimus dum ex conſcientia erga Deum ſubjicimur hominibus, idcirco voluntatem Dei implemus.

II. Quia coram hominibus facimus quod ab illis maxime ſolet laudari & occaſionem omnem offenſæ removemus.

Uſus Exhortationis, ut eo magis in ejuſmodi officia cum omni cura incumbamus.

Docum. IV. *Libertas Chriſtiana non repugnat ſubjectioni illi, quæ vel Deo, vel hominibus debetur.*

Colligitur ex verſ. 16.

Ratio I. Quia per illam liberamur à peccato, ſed non ab officio illo quod peccato adverſatur.

II. Quia libertas Chriſtiana conſiſtit proprie in ſpiritualibus, non corporalibus; quamvis enim ſoli Deo ſubjiciamur in ſpiritualibus, in corporalibus tamen etiam hominibus debemus ſubjectionem

III. Quia idcirco iſtam libertatem accepimus, ut magis libere & prompte perficiamus, quæ Deo & hominibus debemus.

Uſus Condemnationis, adverſus eos qui libertatem Chriſtianã habent pro velamine malitiæ, ſicut eſt in textu.

Docum. V. *Differentia officii noſtri erga homines, erga fratres, erga Deum, & erga Magiſtratus eſt accurate obſervanda.*

Colligitur ex verſ. 17.

Ratio. Quia magna eſt differentia fundamentorum, aut rationum, quibus hæc officia nituntur, ut innuitur in textu, ſed tum officii conſcientia in ſingulis eſt retinenda.

Uſus Redargutionis, adverſus illos qui hæc officia aliquo modo disjungunt, qui nempe Deum videntur timere, homines autem non diligunt aut honorant, vel dum homines videntur honorare Deum minime timent.

Verſ.

Vers. 18. usque ad finem Cap.

Servi subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam pravis.

Hoc enim cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias injuste afflictus.

Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi, subsistatis? sed si bene agentes, & tamen afflicti subsistatis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum:

Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius.

Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius

Qui convitiis affectus, non vicissim conviciabatur, quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat causam suam *ei qui juste judicat.*

Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum illud, ut peccatis mortui, justitiæ viveremus: cujus vibicibus sanati estis.

Nam eratis velut oves errantes: sed nunc convertistis vos ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.

ANALYSIS.

EXhortatio hic proponitur specialis de officio servorum erga suos Dominos. Officium istud 1. quasi definitur per singularem quandam subjectionem in qua consistit. *Subditi estote cum omni timore.* 2. Illustratur per distributionem objecti vel Dominorum, quibus ista subjectio debetur; non solum bonis & æquis; sed etiam malis. 3. Probatur istam subjectionem esse utrique generi præstandam, argumentum petitur ab adjunctis, gratia & gloria, id est, laude & approbatione divinâ, quæ comitatur subjectionem præstitam dominis pravis, vers. 19. hoc enim cedit gratiæ. Cujus consequentiæ ratio illustratur. 1. per descriptionem illius subjectionis, quæ pravis Dominis debetur, quod nempe sit patientia injuriæ hominibus illatæ propter conscientiam erga Deum, vers. 19. 2. per comparationem inter eos qui juste, & eos qui injuste patiuntur molestias, quas dissimiles esse ostenditur ex eo quod illi nullam gloriam ex molestiis quas patiuntur expectare possint: isti vero amplam, vers. 20. Probatur secundo in loco idem officium ex relatione illa quæ oritur ex vocatione nostra generali, quia eo vocamur ut patienter feramus injurias mundi: hoc autem confirmatur ab exemplo Christi, ad cujus imitationem vocamur: duo enim fines declarantur passionis Christi: ut moreretur pro nobis, id est, ad peccata nostra expianda, qui primarius est. 2. ut relinqueret nobis exemplar imitandum, vers. 21. Secundarii hujus finis singularis pars fuit, quod cum fuerit sine peccato, vers. 22. tamen affectus est omni convitiorum & afflictionum genere cum omni patientia, vers. 23. primarius autem passionis Christi finis est, qui spectat ad redemptionem nostram à peccatis, hac etiam occasione

ſione declaratur, verſ. 24. 25. quia ex illo etiam pendet efficax perſuaſio ad imitationem Chriſti in facienda juſtitia & patienda injuſtitia: declaratur verſ. 1. à mortis Chriſti natura, quod fuerit ſacrificium pro noſtris peccatis ad reatum illorum tollendum: 2. à fine hujus propitiationis, quæ eſt mortificatio peccati & vita juſtitiæ. Cujus illuſtratio adjicitur per comparationem ſtatus illius qui antecedit fidem & converſionem, & illius qui ſequitur eandem, verſ. ultimo.

Documenta.

Docum. I. *Illi qui ſunt in abjectiſſima conditione debent in illo ſtatu bonis operibus glorificare Deum.*

Colligitur ex connexione verſ. 18. cum 11. 12.

Ratio I. Servi etiam vocantur ad libertatem & gloriam in Chriſto, neque ulla eſt differentia quoad vitam ſpiritualem inter hominem liberum & ſervum, 1. Cor. 7. 22.

II. Quia idem præmium manet ſervos atque liberos.

III. Quia ſervitus ipſa ſuam habet propriam occaſionem, & viam Deum glorificandi, quæ in aliis conditionibus non reperitur: conditiones aliæ habent ſuas occaſiones & vias, quæ in ſervitute deſiderantur.

Uſus I. *Conſolationis*, quo nemo quiſquam ab hoc honore excludatur, qui ſuas partes habet in gloria Dei promovenda.

II. *Exhortationis*, tam erga ſervos quam erga omne genus hominum, ut ſtudeant gloriæ Dei: ſi enim ſervis hoc incumbat, multo magis Dominis liberis, & iis qui poſiti ſunt in aliqua dignitate.

Docum. II. *Servi ut Deum glorificent in ſua ſervitute ſubjici debent ſuis dominis cum omni timore.*

Ratio I. Quia ſubjectio ad alterius voluntatem proprie eſt illud in quo ſervitus conſiſtit, atque adeo omnes illi qui obligantur ut ſervi obligantur ad ſubjectionem.

II. Quia ſubjectio ſervi talis eſt, ut neceſſario imperet timorem diſplicendi non tantum omni illa ratione, qua in omni officio erga Deum aut homines timere debemus offenſam ex aberratione, ſed etiam ſingulari illa poteſtate quam habent domini ad ſervos ſuos multandos. Hic eſt timor ille qui dici ſolet ſervilis, qui in ſervis non eſt improbandus, quamvis in filiis Dei alius inſuper timor poſtuletur, qui oritur à charitate.

Uſus Admonitionis, 1. erga ſervos & ſubditos ne timorem ſeparent à ſubjectione. 2. erga omnes ut ſubjiciant ſeſe Deo cum omni timore, ſicut ſervos decet.

Docum. III. *Erga pravos homines & perverſos noſtrum officium etiam præſtare debemus.*

Ratio I. Quia fundamentum officii non collocatur in bonitate & pravitate hominum, ſed in illa obligatione quam Lex Dei nobis imponit, quæ conſiſtere poteſt cum hominum pravitate.

II. Quia in iſthoc officio præſtando, Deo & Chriſto ſervimus; atque ab ipſo reportaturi ſumus mercedem, Eph. 6. 5. 6. 7. 8.

Uſus Redargutionis, adverſus illos qui officia ſua dirigunt ſecundum perſonas hominum, quibus cum homine negotium.

Docum. IV. *Officium noſtrum facere debemus, quamvis injuſte ab hominibus*

miuibus affligamur, propter conſcientiam erga Deum.

Colligitur ex verſ. 19.

Ratio I. Quia conſcientia ſemper reſpicit judicium Dei, non qualitates & judicia hominum.

II. Quia conſcientia hac ratione eſt conſtans, immutabilis, & ſui ſemper ſimilis, utcunque hominum judicia variantur.

Uſus Directionis, ut in omnibus actionibus primarium reſpectum habeamus ad conſcientiam.

Docum. V. *Laudi & gloriæ cedit nobis apud Dominum celebratio afflictionum injuſtarum, ſed non juſtarum.*

Colligitur ex verſ. 19. 20.

Ratio I. Quia hoc eſt ſingulare, quod & proprium Chriſtianorum, ſicut & dilectio inimicorum, Mat. 5.

II. Quia maxima gloria hac ratione tribuitur Deo, quando duriſſima fiunt, & feruntur ex conſtantia erga ipſum.

Uſus Exhortationis, ut cum omni alacritate nos accingamus ad hujuſmodi officia præſtanda.

Docum. VI. *Vocatio Chriſtianorum ſingulari modo tendit ad iſtam patientiam afflictionum.*

Colligitur ex v. 21. in princip.

Ratio I. Quia vocantur ad gloriam per afflictionum omne genus tolerantiam, tanquam per viam eo tendentem, cap. 5. v. 10.

II. Quia vocantur ad ſuos inimicos & maleficos benefaciendo vincendos, & ſi fieri poſſit lucrandos, Mat. 5. 44. Rom. 21. 21.

III. Quia vocantur ad imitationem Chriſti, ut eſt in textu.

Uſus I. *Admonitionis*, ne homines mundanos in iſtiuſmodi rebus imitemur aut ſequamur, quia nos aliuſmodi habemus vocationem.

II. *Exhortationis*, ut maxima cum cura officium iſtud ad conſcientias noſtras revocemus, quia intime pertinet ad noſtram vocationem.

Docum. VII. *Chriſti actiones ſunt perfectiſſimum exemplar officii & vocationis noſtræ.*

Ratio I. Quia Chriſtus eſt nobis exemplum à Deo propoſitum tanquam praxis Theologiæ & regula bene vivendi.

II. Quia nullam admittit exceptionem imperfectionis, qualis in omnium hominum exemplis poſſet reperiri.

III. Quia ſpiritus Chriſti illud agit in nobis, ut conformes faciat imagini ipſius.

Uſus Directionis, ut Chriſtum quaſi in ſpectaculo intuentes, in eandem imaginem quaſi transformemur de gloria in gloriam, 2. Cor. 3. 18.

Docum. VIII. *Præcipua ratio imitandi Chriſtum in afflictionibus patiendis ponitur in eo, ut cauſam noſtram committamus Deo.*

Colligitur ex v. 23. in fine.

Ratio. Quia hæc eſt regula patientiæ in iſtiuſmodi cauſis, ut non ulciſcamur [illegible] ſmetipſos, ſed totum negotium in Dominum devolvamus, acquieſcamus placide in ipſius voluntate.

Uſus Admonitionis, ne voluntati noſtræ carnali indulgeamus unquam, ſed bonæ Dei voluntati nos totos ſubjiciamus.

Docum. IX. *Chriſtus ſua morte non tantum exemplum vitæ nobis reliquit, ſed etiam noſtra peccata expiavit, & virtutem nobis procuravit, qua poſſimus in bene vivendo ipſum imitari.*

Colligitur ex v. 24.

Ratio I. Quia eadem ratione reparati ſumus in Chriſto, qua perditi

ſumus

ſumus in Adamo, quod non fuit imitatione ſola & exemplo, Rom. 5.

2. Quia Chriſtus debuit eſſe ſacrificium ad Deum nobis placandum, quod non ſit exemplo.

3. Quia mortuis in peccato & Deo exoſis exemplum nil profuiſſet.

Uſus 1. *Refutationis*, adverſus Socinianos & alios, qui fingunt Redemptionem Chriſti in ſola doctrina & exemplo eſſe collocatam.

2. *Directionis*, ut ſemper conjungamus iſta duo, redemptionem & exemplum Chriſti.

Docum. X. *Abſque Chriſto nihil aliud ſumus quam oves errantes & perditæ.*

Colligitur ex verſu ult.

Ratio. Quia ex illo ſolo ſalus noſtra & directio vitæ pendet.

Uſus Admonitionis, ne ulla ex parte relinquamus Chriſtum, ſed magis magiſque ipſi adhæreamus.

CAPUT III.

Verſ. 1. uſque ad 8.

Similiter uxores ſeſe ſubjiciant ſuis viris: ut etiamſi qui non aſſentiuntur Sermoni, per uxorum converſationem abſque Sermone lucrificant,

Ubi ſpectarint cum timore conjunctam *caſtam converſationem veſtram.*

Quarum ornatus non ſit externus ille in nodis capillorum, & circumpoſito auro, vel palliorum amictu:

Sed occultus ille cordis homo, ſitus in corruptione lenis ac quieti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei pretioſus.

Ita enim olim & ſanctæ illæ mulieres quæ ſperabant in Deum, ornabant ſeſe, ſubjectæ ſuis viris:

Sicut Sara obedivit Abrahamo, dominum eum vocans: cujus factæ eſtis filiæ, dum bene agitis, & nequaquam ulla terremini conſternatione.

Viri ſimiliter, ſimul habitent, ſecundum Dei *notitiam, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, utpote quum unà etiam hæredes ſitis gratiæ vitæ, ne iterrumpantur preces veſtræ.*

ANALYSIS.

INſtituuntur hic uxores & viri in particularibus iſtis officiis quæ ſpectant ad ſocietatem conjugalem: Uxorum autem v. 1. deſcribitur, quia proprius accedit ad officia illa, quæ proxime explicata ſunt ſubditorum erga magiſtratus, & ſervorum erga ſuos dominos. Commune enim quod hic præſcribitur uxoribus eſt ſubjectio erga ſuos maritos, verſ. 1. *ſubjiciant ſeſe ſuis viris.* Quæ ſubjectio poſtea explicatur per certa quædam adjuncta, vel proprietates, quæ proprie conveniunt ſubjectioni uxorinæ, non ſubjectioni ſervorum & ſubditorum. Iſtarum proprietatum prima eſt, timor conjugalis. Secunda, caſtitas converſationis ibid. Tertia, lenitas & manſuetudo, v. 4. hæc autem ſubjectio cum ſuis proprietatibus ſuadetur: 1. Ab effectis & fructu

fructu, qui inde per gratiam Dei consequi posset; quia medium est ad virorum conversionem tendens si forsan Evangelio alieni, vers.. 1. 2. Commendatur & illustratur per comparationem, quæ instituitur inter piam illam subjectionem & ornatum illum quem mulieres maxime facere solent, v. 3, 4. ubi externus ille ornatus nullius esse pretii ostenditur in conspectu ipsius Dei. 3. Suadetur exemplo piarum illarum mulierum quæ olim fuerunt Deo probatæ, v. 5. & specialiter exemplo Saræ, & ejus obedientiæ erga Abrahamum, v. 6. cujus exempli singularem rationem innuit, quia sicut Abraham pater fuit omnium fidelium, sic Sara aliquo modo mater vocari posset omnium piarum mulierum. Virorum officium præscribitur 1. Generaliter in gubernatione habitali, quæ dicitur cohabitatio secundum notitiam, quæ notitia & intelligentia est fundamentum directionis, atque adeo magis requiritur in viro quam in muliere. 2. In speciali modo hujus gubernationis, quod nempe conjungi debet cum honore uxoris in infirmitatibus ejus gerendis ac sustentandis, quod suadetur: 1. A societate & æqualitate illa, quæ intercedit inter virum & uxorem, respectu gratiæ vitæ, ut hic appellatur. 2. Ab incommodo maximo quod neglectum hujus officii sit secuturum, quia per dissidia & discordias istiusmodi domesticas, domesticæ etiam preces interrumpuntur.

Documenta.

Docum. I. *Subditorum, servorum, uxorum, virorum simile est officium.*

Colligitur ex illa particula: *similiter uxores*, vers. 1. & *similiter viri*, v. 7. non quod eadem sit qualitas officii in omnibus istis ex omni parte, sed quod eadem sit qualitas obligationis, qua singuli sua officia propria tenentur præstare.

Ratio 1. Quia idem legislator & eadem lex, qua singulis suum officium imperatur.

2. Quia disparitas conditionis nullam facit disparitatem in obligatione, quæ est formale officii, sed tantum iis in rebus, ad quas obligatio adstringit, quæ in officio materialem tantum habet rationem.

Usus Admonitionis, ne rejiciamus, à nobis ea quæ aliis conditionis hominibus præcipi legimus aut audimus, sed semper cogitemus nos, quamvis non ad similia, tamen similiter obligari ad officia nostra: cum præcipitur aliquid servis, tum dominis cogitandum est, similiter etiam dominis; cum uxoribus aliquid præcipitur, tum viris cogitandum est similiter etiam viris, & quando præcipitur aliquid viris, tum uxoribus cogitandum est, similiter etiam uxoribus.

Docum. II. *Uxorum officium est subjicere sese suis maritis.*

Colligitur ex Col 3. 18, Eph. 5. 22, 23, 24.

Ratio 1. Quia vir est uxoris caput, Eph. 5. 23. 1 Cor. 11. 3.

2. Quia nullus ordo potest in familia conservari, nisi cæteri omnes patrifamilias subjiciantur.

Usus Redargutionis, adversus uxores immorigeras, & subjici nescias, & adversus viros, qui sua culpa sese exuunt authoritate hac ac dignitate & sunt sibimetipsis causæ capitis diminuti.

Docum. III. *Conversatio mulierum talis*

talis esse debet, ut allicere possit viros ad approbationem veræ religionis.

Colligitur ex v. 1.

Ratio 1. Quia omnes, quantum possunt, Deo cooperari debent ad hominum conversionem.

2. Quia generale hoc officium Christianum singulariter determinatur & intenditur respectu eorum, quibuscum arctiorem habemus communionem.

3. Quia Charitas, quæ singulariter pertinet ad Conjuges postulat, ut maximũ bonum sibimetipsis invicem optent & quærant.

Usus Increpationis, adversus illos, qui in conjugio ita vivunt, ut plane nullam curam habeant vel gloriæ Dei, vel suæ salutis, in isto statu promovendæ: illi autem multo sunt magis damnandi, qui ita se gerunt in vita conjugali, ut conjuges suos magis magisq; alienos reddant à Religione & pietate vera, vel quoad doctrinam, vel quoad praxin. Si autẽ hoc pertinet ad uxores erga viros, multo mgis pertinebit ad viros erga uxores.

Docum. IV. *Castitas conjugalis debet conjungi cum timore.*

Colligitur ex v. 2.

Ratio. Quia non tantum vitanda est impuritas, sed & omnis suspicio impuritatis aut animi eo inclinantis.

Usus 1. *Admonitionis*, erga conjuges, ut fugiant omnes eos mores, qui vel specie aliqua repugnant castitati.

2. Erga omnes Christianos ut spiritualẽ suam castitatẽ observent cum Christo & Deo, cum omni timore.

Docum. V. *Externus ornatus non debet magni fieri, sed internus.*

Colligitur ex v. 3, 4.

Ratio 1. Quia externus ornatus pertinet ad hujus mundi vanitatem, sed internus est vita ipsa spiritualis, Christus enim & gratia dicitur ornatus cordis vel animi internus, quia hominem amabilem facit & commendat coram omnibus iis, à quibus spectatur & æstimatur.

2. Quia externus ornatus respicit homines tantum, eosque non adeo graves: internus respicit Deum ipsum, ut est in v. 4.

3. Quia externus ornatus non est durabilis, sed internus est incorruptibilis, sicut est v. 4. *in incorruptione*, 2 Cor. 4. 18.

Usus Admonitionis, ut externam & mundanam laudem indies magis magisque abnegantes externam & veram consectemur.

Docum. VI. *Lenitas & mansuetudo spiritus in mulieribus, atque etiam in aliis est prætiosus ornatus coram Deo.*

Colligitur ex v. 4.

Ratio 1. Quia turpia & indecentia multa, quæ ex iracundia & perturbatione exurgunt, per istam dispositionem removentur.

2. Quia hæc dispositio singulariter comparatur ad placendum; omnes enim cupiunt, ut ab aliis placide ferantur in suis moribus.

Usus 1. *Refutationis*, adversus eos, qui decus & gloriam quandam affectant ex ferocia & impatientia.

2. *Exhortationis*, ut non tantum civilitatis causa, sed etiam propter conscientiam erga Deum studeamus huic dispositioni.

Docum. VII. *Istiusmodi virtutum exempla singuli debent ex scriptura quærere & sibi accommodare, secundum suam propriam conditionem.*

Mulieres enim habent mulieres sanctas sibi propositas in exempla, v. 5. Sic viri viros sanctos habent.

Docum. VII.

Docum. VIII. *In exemplis expendendis illa ſunt maxime attendenda, quæ in ipſa Scriptura maxime nobiliſtant.*

Colligitur ex verbis, *ubi de Abraham, Sara & ſimilibus*, v. 6.

Docum. IX. *Iſtiuſmodi Sanctorum tum demum filii ſumus, cum per ſolidam imitationem, quando ita perſiſtimus in bene agendo, ut nullo terrore ab iſto propoſito removeamur, aut etiam ulla alia tentatione.*

Colligitur ex v. 6. in fine, hoc enim in ipſa Sara proponitur mulieribus maxime imitandum, quod ex officio ſequebatur Abrahamum in omni ejus peregrinatione, nec ullo terrore patiebatur ſe retardari.

Docum. X. *Virorum officium ſimiliter ipſis incumbit, ut uxoribus ſuum.*

Colligitur ex v. 7.

Ratio 1. Quia eadem eſt obligatio legis divinæ utrinque.

2. Quia relatio eſt mutua inter hæc officia, ut unum ſua natura poſtulet alterum.

3. Quia idem pene eſt officium virorum erga uxores ſuas, & uxorum erga ſuos viros, niſi quod uxor ſuas partes agere debet cum ſubjectione & viri partes ſint gubernare.

Uſus Admonitionis, ne rigidi ſint aliorum officiorum exactores, ſuum interim negligentes.

Docum. XI. *Ad viros pertinet excellere notitia & intelligentia.*

Colligitur ex illis verbis : *ſecundum notitiam.*

Ratio 1. Quia à natura perfectionem quandam habent ſupra mulieres in iis quæ pertinent ad notitiam, unde mulier hoc loco vas infirmius vocatur.

2. Quia ex officio debent eſſe capita ſuarum uxorum in iis dirigendis & gubernandis.

3. Quia majora habent media notitiæ conſequendæ, ſicut enim mulieribus in Eccleſia loqui non licet, ita neque in aliis exercitiis locum habent, quibus ingenia hominum excoluntur.

Uſus Redargutionis, adverſus eos viros qui vel ebrietate, vel ſocordia, vel negligentia rerum divinarum vel nimia cura rerum terreſtrium non mulieribus tantum, ſed & pueris in intelligentia ſana evadunt inferiores.

Docum. XII. *Virorum eſt uxores in officio continere, non metum injiciendo.*

Ratio 1. Quia non ſunt ſervæ, ſed ſociæ.

2. Quia dilectio conjugalis in omnibus ejuſmodi officiis debet elucere.

Uſus Admonitionis, tam erga viros quam uxores, ut caveant ſibi à ferocitate & acerbitate.

Docum. XIII. *Omne illud officium, quod debemus omnibus cohæredibus gratiæ & vitæ æternæ, dirigere & moderari debet officia noſtra particularia erga ſuperiores, inferiores, pares.*

Ratio 1. Quia illud eſt principale, cui cætera omnia ſubordinantur.

2. Quia Charitas illa virtualiter ſaltem in ſeſe continet omnes virtutes.

3. Quia dignitas quæ redundat ex relatione ad gratiam & vitam æternam, omnes illius gratiæ participes reddit aliquo modo æquales, atq; adeo contemptum, oppoſitionem, & omnis generis injurias coercet.

Uſus

Vſus Directionis, ut in omni parte converſationis noſtræ cum hominibus Chriſtianis hujus officii rationem habeamus.

Docum. XIV. *Tota noſtra converſatio tam publica quam privata ita debet ordiuari, ut preces noſtras non interumpat aut impediat, ſed potius promoveat.*

Colligitur ex ultimis verbis.

Ratio 1. Quia aliter injuriam faceremus ipſi Deo, cujus honorem violaremus.

2. Quia maximam noſtram conſolationem quæ pendet ex precibus, imminutam ſaltem redderemus.

Vſus Admonitionis, ut ergo caveamus nobis non à gravioribus tantum peccatis, ſed etiam rixis, injuriis, perturbationibus, & vanitatibus omnibus iis, quibus ineptiores reddimur ad Dei nomen rite invocandum.

Verſ. 8, & 9.

Denique omnes eſtote concordes, mutuo moleſtiarum ſenſu affecti, fraterna præditi charitate, ad intimam miſericordiam proni, comes:

Non reddentes malum pro malo, aut convicium pro convicio, ſed contra benedicentes: ut qui ſciatis vos ad hoc vocatos eſſe, ut benedictionem hæreditario jure obtineatis.

ANALYSIS.

SUmmatim iſtis duobus verſiculis complectitur Apoſtolus officia illa quæ ſpectant ad omne genus hominũ. Quia enim longum nimis fuiſſet ſingulatim deſcribere omnes virtutes particulares, neque tradi poteſt talis doctrina dirigens ſingulos homines in officio ſuo, quà ſingulos, ſicut de dominis ac ſervis, uxoribus ac maritis antea tradebatur, quo generalia quædam officia omnibus cõmendantur, ex quibus particularia quælibet facile ſequuntur. Horum autem 1. eſt Concordia. 2. Mutua Sympathia. 3 Charitas fraterna. 4. Miſericordia. 5. Comitas. 6. Patientia Chriſtiana, qua non tantũ abſtinetur à maledictis maledicentibus reponendis, ſed etiam benedictio opponitur maledictioni, cujus ultimi officii, ut omnium difficillimi, ratio redditur ſingularis, quæ à fine noſtræ vocationis, quâ mittimur in poſſeſſionem omnis benedictionis, petitur, & aliis quantum in nobis eſt communicatum ire debemus.

Documenta.

Docum. I. *Concordia eſt virtus cui omnes Chriſtiani tenentur operam dare maximè.*

Rat. 1. Quia uno ac eodem ſpiritu, ac proinde quaſi uno corde à Deo donati ſunt omnes verè fideles. Acceperunt enim cor novum unius ac ejuſdem fabricæ ac naturæ.

2. Quia unum ac eundem finem ſibi habent propoſitum, & unâ ac eadem viâ tendere debent ad illũ finẽ.

3. Quia ſi ſit quædam differentia in aliis quæ ad illam viam non ſpectant, illa non ſunt tanta ut diſcordiam debeant inferre. Poteſt enim in multis eſſe aliqua diſſenſio opinionum ſine diſcordia, aut alie-

natione animorum. Si vero ſit aliqua differentia circa illa quæ ſpectant ad iſtam viam, mutua toleratio cum ſimplici ſtudio veritatis concordiam tantam rectam conſervabit inter eos qui veri Chriſtiani ſunt, juxta Apoſtoli Phil. 3. v. 15. 16;

Uſus Redargutionis, adverſus illos qui levibus de cauſis à ſuis fratribus alienantur, & quamlibet diſſenſionem, vel minimam quamlibet controverſiam convertunt in diſcordiam. Quam multi autem huic vitio ſint obnoxii, & quam arcte ipſis adhæreat, ex eo clariſſime apparet, quod ne propter Deum quidem & Chriſtum ſuamque propriam ſalutem poſſint iras & odia ſua deponere. Hoc ipſum enim profitentur non pauci dum abſtinent à cœna Dom. propter contentiones illas quas fovent cum ſuis proximis, quia eadem opera profitentur ſe Deum non poſſe invocare ut remitteret ſibi ſua debita, ſicut illi dimittant aliis, & proinde videmur magis amare diſcordiam, quam Deum ipſum & ſuam propriam ſalutem.

Docum. II. *Sympathia debet eſſe inter Chriſtianos.*

Qua voce non tantum notatur mutuus moleſtiarum ſenſus, ſed & bonorum, 1. Cor. 12. 16.

Ratio I. Quia ſunt membra unius corporis, & ſingula membra ſpectant ad totum.

II. Quia unius membri malum aut bonum redundat aliquo modo in cætera membra, per arctam illam unionem & communionem quam habent inter ſe

II. Quia conſenſio & concordia voluntatum hoc jubet, ut de quo unus gaudeat ac doleat, alter etiam gaudeat ac doleat.

Uſus Increpationis, adverſus Stoicam illam duritiem quæ occupavit hominum animos, qua fit ut aliorum conditione nullo modo afficiantur.

Docum. III. *Charitas inſuper fraterna eſt maxime colenda, quæ ſupra concordiam & ſympathiam addit etiam voluntatem & conatum, aliis benefaciendi tanquam fratribus noſtris.*

Ratio I. Quia ſumus fratres.

II Quia charitas eſt character Chriſtianæ fraternitatis.

III. Quia charitas eſt vinculum perfectionis & medium ædificationis Chriſtianæ.

Uſus Exhortationis, ad ſtudium hujus gratiæ.

Docum. IV. *Charitati adjungi debet miſericordia, quæ reſpicit bonum ſimpliciter communicandum.*

Ratio I. Quia charitas genuina hac ratione maxime declaratur, dum in illos exercetur qui non poſſunt nobis gratiam referre.

II. Quia in hoc imitamur patrem cœleſtem qui eſt pater miſericordiarum.

III. Quia idem beneficium majus eſt cum præſtatur miſero, quam cum alii.

Uſus Redargutionis, adverſus eos qui illos tantum videntur amare à quibus aliquid expectare poſſunt.

Docum. V. *Comitas conjungi debet cum charitate & miſericordia.*

Ratio I. Quia vera charitas & miſericordia ex dilatione cordis proficiſcens, totum hominem ad communicationem boni componit.

II. Quia beneficium aſpere & acerbo modo communicatum ceſſat aliquo modo eſſe beneficium.

Uſus Admonitionis, ut magis ma magiſque deponamus omnem ſeveritatem

tatem, & quod bonum facimus in modo faciendi curemus ornare.

Docum. VI. *Christiani non debent reddere malum pro malo aut convitium pro convitio.*

Colligitur ex vers. 9. Rom. 12. vers. 17. Matth. 5. 39.

Ratio I. Quia malefactum aut maledictum alterius non solvit vinculum, aut tollit officium charitatis nostræ.

II. Quia hoc est vinci à malo, Rom. 11. 21.

III. Quia hoc derogat fidem Deo & ipsius partes eripit, Rom. 12. 19. Prov. 23. 22.

Usus Redargutionis, adversus irritabiles hominum animos, qui injuria aliqua lacessiti omnia putant sibi licere, & effundunt sese in omne genus vindictæ: quod autem hoc non faciant ex odio peccati sed ex nimio suimet honore, satis inde liquet, quod graviora peccata in Deum admissa & easdem injurias aliis illatas audire & intueri possint sine ulla animi commotione.

Docum. VII. *Christianorum officium est benedicere malefacientibus ipsis.*

Colligitur ex Matth. 5. 44. Rom. 12. 14.

Ratio I. Quia charitas & misericordia hoc officium singulariter postulat, quia eos qui per hujusmodi peccata obnoxios sese reddunt maledictioni.

II. Quia malum debemus vincere bono. Rom. 12. 21.

III. Quia debemus imitari patrem nostrū cœlestem, Matth. 5. 45.

Usus Exhortationis, ut exerceamus nosmetipsos ad istam perfectionem.

Docum. VIII. *Memoria vocationis nostræ quod tendat ad benedictionem excitare nos debet ad aliis benedicendum.*

Ratio I. Quia quod gratis ex benedictione Dei accepimus, gratis & liberaliter, quantum in nobis est, debemus communicare, Matth. 10. 8.

II. Quia hac ratione vocationem nostram propriam exercemus, & proficimus.

III. Quia gloriam Dei beneficium nobis communicantis hoc pacto declaramus & promovemus.

Usus Directionis, ut sæpissime de vocatione nostra meditemur, idque in istum finem ut ad officia Christiana paratiores reddamur.

Vers. 10. 11. 12.

Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, desistere faciat linguam suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum:

Declinet à malo, & faciat quod bonum est: quærat pacem, & persequatur eam.

Nam oculi Domini sunt intenti in justos, & aures ejus ad deprecationem eorum: vultus vero Domini adversum eos qui faciunt mala.

ANALYSIS.

TRibus istis versibus probatur testimonio Scripturæ illud quod ultimo loco dictum fuit, homines scilicet pios esse hæredes benedictionum. In quo testimonio 1. benedictio apponitur quæ ab omni-

bus appetitur, *qui vult vitam diligere & videre dies bonos.* 2. Pietas eorum, quibus hæc benedictio permittitur synecdochice declaratur per distributionem à subjectis quatenus est in sermone, vers. 11. vel in factis & vitæ conversatione, vers. 11. 3. Connexio illius benedictionis cum hac pietate confirmatur à causa ejus efficacissima, providentia nempe Dei invigilante piis in bonum, vers. 12. principio: Quæ illustratur ab effecto contrario ejusdem providentiæ erga malos, quod scilicet ipsis invigilet semper in malum, vers. 12. in fine.

Documenta.

Docum. I. *Appetere aliquo modo benedictionem & beatitudinem, est omnibus hominibus commune.*

Idcirco enim hoc loco adhibetur argumentum commune ad studium pietatis in omnibus excitandum.

Ratio I. Quia omnia appetunt bonum, & aliquo modo illud quod apprehendunt ut summum bonum.

II. Quia omnis natura tendit ad suam perfectionem, hæc autem perfectio est beatitudo.

III. Quia talis est natura beatitudinis, ut si ab intellectu aliquo modo percipiatur, non possit non excitare in voluntate aliquod desiderium sui, quia est omni ex parte desiderabile.

Usus I. Ne ergo acquiescamus in quocunque confuso desiderio benedictionis, sed genuinum & efficax in nobismetipsis excitare & fovere studeamus.

II. *Directionis*, ut hoc desiderium Deo probatum non corrumpamus, aut suffocemus cupiditatibus mundanis, sed proficiamus quotidie ex illa regula, quæ divinitus nobis tradita hominibus.

Docum. II. *Vera & solida pietas est unica illa qua possumus ad illas benedictiones pervenire via*

Ratio I. Quia piis solis Deus eam promisit.

II. Quia pietas sua natura ducit ad Deum & conjungit cum Deo, qui est fons omnis boni.

III. Quia pietas ipsa conjunctam habet illam perfectionem, conscientiæ pacem, & solidam consolationem, quæ magna pars est felicitatis.

Usus I. Redargutionis, adversus insaniam eorum qui beati esse volunt, sed nolunt esse pii.

II. *Direct.* ut & studiū pietatis expectatione beatitudinis in nobis accendamus ac certitudinē beatitudinis nobis comparemus ac confirmemus.

Docum. III. *Providentia Dei unice facit ad istam pietatem promovendam & beatitudinem ejus confirmandam.*

Colligitur ex vers. 12.

Ratio. I. Quia Deus per suam providentiam implet & perficit omnes suas promissiones.

II. Quia eadem providentia inspicit & curat particulares necessitates piorum.

III. Quia particularem rationem habet omnium ipsorum desideriorum ac votorum, ut est in textu.

Usus Exhortationis, ut ædificemus nosmetipsos in hujus providentiæ vera ac viva fide.

Vers. 13. usque ad 17.

Et quis est qui male accipiat vos, si bonarum rerum æmulatores fueritis?
Sed & si quid *perpetiamini propter justitiam, beati* tamen estis : *cæterum metu eorum ne metuite, neque turbemini :*
Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. Estote *autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est : cum mansuetudine & timore, conscientiam bonam habentes :*
Ut pro eo quod obloquuntur vobis tamquam facinorosis, pudefiant qui infesti sunt vestræ bonæ in Christo conversationi.

ANALYSIS.

SUadetur hic quod antea propositum fuit de studio pietatis, 1. ab effecto quod hac ratione liberantur homines ab incommodis illis, quorum inferendorum occasionem captant impii, vers. 13.

II. Ab adjuncta beatitudine, quia nullis afflictionibus propter justitiam & pietatem toleratis potest excludi aut superari, v. 14. princip.

III. Modus rectus afflictiones ita subeundi, ut beatitudo inde sequatur, demonstratur : qui consistit 1. in dispositione metus & perturbationis illius, quæ vulgares homines solet in afflictionibus suis occupare, illis verbis : *metum eorum ne metuite.* 2. In illa fiducia cordis erga Deum, qua nomen ejus sanctificatur, & cujus virtute immodicus ille metus potest deponi. Hæc autem autem fiducia illustratur proprio suo effecto, quod in forti & prompta confessione fidei collocatur, cujus professionis proprietates duæ indicantur, *mansuetudo*, & *timor*, seu *reverentia* & causa adjuvans & conservans declaratur, *conscientia*, scil. *bona*, & effectum etiam, quod habitura sit in aliis, demonstratur, vers. 16. quod scil. hostes eorum ab obloquiis desistere cogentur cum pudore. Hinc oritur

Quæst. Quomodo hoc possit consistere quod Apostolus dicat, neminem læsurum esse pios? v. 13.

Resp. I. Quia pietas & bonitas eo sua natura tendit, ut omnium animos conciliet, & malevolentiam tollat.

Quia etiam sæpe hoc habet effectum, ut omnem prætextum & occasionem injustitiarum tollens, emolliat aliquo modo animos hostium, nisi plane feri sint ac furiosi.

III. Quia nemo proprie læditur nisi à semetipso, & suis vitiis ; qui igitur declinat à malo, bonumque facit non potest ab aliis affici malo proprie dicto quamvis maxime id velint & conentur.

Documenta.

Docum. I. *Christiani debent esse æmulatores ac imitatores boni.*

Colligitur ex v. 13.

Ratio I. Quia vocantur ad imitationem bonitatis Dei : Sancti estote, sicut ego sanctus sum : estote perfecti, sicut pater vester perfectus est.

II. Quia ad imaginem Dei optimi sunt regeniti, & indies magis

magisque formari debent.

III. Quia nihil præterea studiosa nostra imitatione dignum.

Usus Exhortationis, ut erectis animis accingamus nos ad sanctam & divinam istam æmulationem.

Docum. II. *Æmulatores boni liberantur à malis.*

Colligitur ex v. 13.

Ratio I, Quia si Deus sit pro nobis, quis contra nos?

II. Quia malorum etiam animi flectuntur sæpe bonitate bonorum: sicut Esau movebatur obsequio Jacobi.

III. Quia maxima non possunt illis eripi qui student veræ pietati.

Usus Consolationis, adversus omnia pericula quæ nobis imminere possunt è studio boni.

Docum. III. *Pati afflictiones propter justitiam, non impedit, sed confirmat beatitudinem nostram.*

Colligitur ex v. 14. Matth. 5. 10.

Ratio I. Quia tales afflictiones conformes nos reddunt Christo in communione perpessionum ejus, Phil. 3. 10.

II. Quia singularis pars est illius obedientiæ & sanctitatis quæ ad beatitudinem tendit.

III. Quia mercedem singularem ex promissione Dei sibi habet annexam.

Usus Consolationis, adversus omnia mala, quæ nobis accidere possint propter justitiam & conscientiam bonam.

Docum. IV. *Deponendus est metus omnium periculorum quibus animus noster possit conturbari.*

Colligitur ibid.

Ratio I. Quia talis metus adversatur fidei & fiduciæ firmæ.

II. Quia nullum alium usum habet, nisi ut nos impediat in officio præstando.

III. Quia honori Dei & dignitati bonæ causæ repugnat.

Usus Admonitionis, ne locum demus istiusmodi pusillanimitati.

Docum. V. *Adversus omnem metum munire nos debemus corda, fiducia vera in Deum.*

Ratio I. Quia nihil est aliud quo vinci possunt omnes terrores.

II. Quia Deus in se hoc suscepit & jussit, ut causam nostram in se devolvamus.

III. Quia per fiduciam Deus fit robur animi nostri.

Usus Exhortationis, ad veram fiduciam.

Docum. VI. *Per istam fiduciam Deus sanctificatur in cordibus nostris.*

Colligitur ex v. 15.

Ratio I. Quia agnoscitur sanctus, id est, perfectæ potentiæ, misericordiæ, fidei, & fidelitatis Deus.

II. Quia per efficacem agnitionem sanctitatis hujus tribuitur illi gloria illa, quæ nomini ejus debetur in cordibus nostris.

III. Quia inde & sequitur quod gloriam ipsius promoveamus apud alios, tam actionibus quam professionibus nostris.

Usus Exhortationis, ad fiduciam vivam.

Docum. VII. *Sanctificandus est Deus non tantum in cordibus nostris, sed etiam in ore & professione nostra.*

Colligitur ex illis verbis: *estote semper parati ad respondendum*, Rom. 10. 10.

Ratio I. Quia non tantum spiri-

tibus

tibus, ſed etiam corporibus noſtris glorificandus eſt Deus 1. Cor. 6. 20.

II. Quia non tantum nobiſmetipſis, ſed etiam apud alios debemus gloriam Dei promovere.

III. Quia ex abundantia cordis os loquitur: non poſſumus ergo toto corde ſanctificare Deum, niſi ore idem facere ſimus parati.

Uſus I. Redargutionis, adverſus eos qui ſinceritatem cordis jactant, ſanctitatem ejus & verborum nihil curant.

II. *Exhortationis*, ut præparemus noſmetipſos ad hoc officium, Eph. 4. verſ. 29.

Docum. VIII. *Chriſtiani omnes parati debent eſſe, non tantum profiteri veritatem, ſed etiam rationem juſtam reddere illius profeſſionis.*

Colligitur ex illis verbis: *ad reſpondendum cuilibet rationem petenti ejus ſpei, quæ in vobis eſt.* Non autem hoc intelligendum de omni veritate, ſed de veritate religionis, neque de omnibus quæ aliquo modo pertinent ad religionem, ſed de ipſa ſubſtantia fidei, ſpei ac religionis, ut eſt in textu: *rationem ſpei quæ eſt in vobis*: neque ratio vel naturalis requiritur, vel illius generis quæ os poſſet obturare cuilibet contradicenti; hoc enim non eſt omnium, ſed fundamentum aliquod certum ex verbo Dei, quo fides ac ſpes muniatur adverſus omne genus tentationum. Hic oritur

Quæſt. An iſtiuſmodi ratio reddi debet cuilibet petenti?

Reſp. Non abſolute cuilibet, quia non canibus & porcis ſine aliqua neceſſaria cauſa, ſed cuilibet petenti ſic, ut noſtra profeſſio aut reſponſio probabiliter ſaltem cedere poſſit in gloriam Dei, velut eſt in textu: *ad Deum ſanctificandum.*

Uſus Exhortationis, 1. Ad ſerium ſtudium religionis, ut eam ex fundamentis ſuis intelligamus. 2. Ad libertatem ingenuam, ad eam ex occaſione juſta declarandam ac defendendam.

Docum. IX. *Profeſſio religionis debet eſſe cum manſuetudine reſpectu hominum; & cum timore reſpectu Dei.*

Ratio. Quia per manſuetudinem proficimus apud homines, & timor vel reverentia Dei ad officium faciendum nos excitabit, & intra limites ejus nos continebit.

Uſus increpationis, adverſus eos, qui modum ſermonum & actionum ſuarum non curant.

Docum. X. *Conſcientia bona tam in ſanctificatione nominis Dei, quam in profeſſione religionis ejus, eſt imprimis neceſſaria.*

Id eſt, conſcientia præbens nobis teſtimonium, & de gratia Dei erga nos in Chriſto, & de ſincero ſtudio cordium noſtrorum Deo in omnibus placendi.

Ratio I. Quia ſine tali conſcientia langueſcit fides, fiducia, fortitudo, libertas.

Quia hujuſmodi conſcientia liberat nos ab omni illo onere, quo alias præmeremur, & ab officio faciendo detineremur terrore, timore, & ſimilibus.

III. Quia excitat nos ad omnia illa officia pietatis, quia ſine eorum curâ conſcientia bona non poteſt conſolari.

Uſus Exhortationis, ad curam conſcientiæ, ut eam habeamus puram coram Deo & hominibus Verſus 17. idem plane eſt cum 12. verſ. 2. cap.

Vers. 17. usque ad finem cap. 3.

Melius enim est ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quam male agentes:

Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis: ut nos ad Deum adduceret, morte quidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu.

Per quem etiam spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicavit.

Qui olim non obedierunt, quum semel expectabat ille Dei patiens animus in diebus Noë, quum construeretur Arca, in qua paucæ (id est, octo) animæ servatæ sunt in aqua.

Cui rei nunc respondens exemplar Baptismi nos quoque servat (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum) per resurrectionem Iesu Christi.

Qui est ad dextram Dei profectus in Cœlum, subjectis ipsi Angelis & potestatibus ac virtutibus.

ANALYSIS.

HAc parte capitis urget ac persuadet Apostolus exhortationem illam, quam antea proposuerat de studio bene agendi, etiam erga ipsos qui male nobis faciunt. Suadetur autem hoc 1. Per comparationem institutã inter eos, qui male agentes, malis afficiuntur. Quamvis autem comparatio illa videatur esse majoris aut minoris boni, cum dicitur melius bene agentes malis affici, revera tamen dissimilitudo est, quæ per hanc μείωσιν innuitur, ut liquet ex c. 2. v. 19. 20. Gratiæ enim & gloriæ cedere nobis, si bene agentes, malis afficiamur, non ita si male agentes. 2. Confirmatur hoc exemplo Christi, v. 18. qui justissime agens, tamen injuste passus est; quod exemplum efficacissimum esse, ostenditur a fine passionis, quia idcirco passus est, ut eadem via nos adduceret ad Deum: quod eum jam efficaciter facere ostenditur ex causa, vita scil. & gloria, quam post passionem Spiritu suo divino sibi assumpsit. Ut autem effectum illud, adductio hominum ad Deum, ab ista causa, Spiritu scil. Christi, provenire ostendat, similium comparationem instituit Apostolus, inter illa quæ Spiritus Christi fecit olim in diebus Noë, & illa quæ jam facit post adventum Christi in carne. Olim prædicavit viam salutis, patienter etiam expectavit obedientiam præstandam; inobedientes autem condignis pœnis affecit, & paucos obedientes in Arca conservavit: Sic etiam jam prædicavit viam salutis, expectat, & per Baptismum tanquam typum aliquem Arcæ illi veteri similem salvat obedientes, vel bonam conscientiam habentes apud Deum, idque per gloriosam illam vitam ac potestatem, quam habet in Cælis a tempore resurrectionis, v. 21. 22. Quæ omnia eo spectant, ut bonam conscientiam retineamus, etjam cum malo afficimur, quia hoc est melius, ut antea dixerat, vers. 17. & jam declaravit, tam exemplo Christi, quam efficaci ejus dispen-

diſpenſatione per omnia ſæcula, quæ habentur, v. 18. vide cap. 2. v. 21. ad finem: reliqua fere explicantur Colleg. Anti-Bellarm. de deſcenſu ad inferos.

Documenta.

Docum. I. *Spiritus Chriſti fuit, qui per Prophetas & viros Dei prædicabat olim, antea quam apparuit in carne ab initio mundi.*

Colligitur ex v. 19.

Ratio 1. Quia eadem fuit perſona Chriſti ab æterno in unitate eſſentiæ divinæ, ita ut quicquid Spiritus Dei fecerit, id etiam recte dicatur Spiritum Chriſti feciſſe.

2. Quia Chriſtus fuit mediator generis humani ab initio mundi, virtute & efficacia: quicquid ergo Spiritus fecit quod pertinet ad ſalutem Eccleſiæ promovendam, totum illud fecit virtute mediationis Chriſti: non minus autem quam poſt ejus adventum.

Uſus 1. *Inſtitutionis*, de divina Chriſti natura.

2. *Conſolationis*, & *Confirmationis* fidei, ex eo quod eundem nos Doctorem habemus, qui inſtituit Eccleſiam ab initio mundi, & ad ſalutem perduxit; atque edeo eandem religionem quoad eſſentiam colimus, quam omnes fideles ab initio mundi coluerunt.

3. *Admonitionis*, ne rejiciamus unquam aut parvi faciamus illa quæ prædicantur nobis ex Verbo Dei, quia Spiritus eſt Chriſti qui nobis prædicat illa, ſicut ab initio mundi aliis prædicavit.

Docum. II. *Qui non obediunt prædicatoni Spiritus Chriſti, accerſunt ſibimetipſis damnationem æternam.*

Colligitur ex v. 19, 20.

Ratio 1. Quia dum negligunt prædicationem Evangelii, negligunt & rejiciunt unicum illud medium quo poſſunt à damnatione ſervari, & ad ſalutem perduci.

2. Quia graviſſima contumelia afficiunt Chriſtū & Spiritum ipſius.

Uſus Admonitionis, ut aures circumciſas, apertas & attentas, & corda ad obedientiam omnē prompta adferre ſemper ſtudeamus ad Verbum Dei audiendum.

Docum. III. *Deus utitur multa patientia & longanimitate erga homines inobedientes.*

Colligitur ex v. 20:

Ratio 1. Quia hac ratione manifeſtatur Dei clementia & gratia.

2. Quia per iſtam patientiam Dei invitantur omnes, & trahuntur multi ad obedientiam fidei.

3. Quia iſta patientia reddit pertinaciter inobedientes plane inexcuſabiles & ita juſtificat Deum in ſuis juſtis judiciis.

Uſus 1. *Directionis*, ut Deo tribuamus gloriam hujus patientiæ, cum peccatores videntur impune ad tempus graſſari.

2. *Admonitionis*, ne abutamur iſta patientia Dei, ſed in emendationis vitæ & ſalutis noſtræ medium convertamus, Rom. 2. 4.

Docum. IV. *In deſtructione inobedientium Deus ſingulariter proſpicit fidelibus, ut ab illa deſtructione conſerventur.*

Colligitur ex v. 20

Ratio 1. Quia certo & perfecto conſilio ſua judicia diſpenſat, non temere aut confuſe, eximit igitur quos ipſi placet.

2. Quia pœna peccati non debet æquè premere pios ac impios, tum

tum enim non esset justus dispensator.

3. Quia interest gloriæ Dei servare eos qui ad ipsum confugiunt, prout in fœdere suo ipsis promisit.

Usus Consolationis, In publicis calamitatibus quibus Deus impietatem hominum ulciscitur.

Docum. V. *Deus sæpe suos conservat iisdem mediis ex parte quibus alios consumit.*

Dicitur enim quod Noë & septem illas animas servavit arcâ in aquis & per aquas. Eadem aqua quæ alios obruebat, extollens arcam in sublime fuit ipsis medium conservationis. Sic Jeremias à Babyloniis fuit liberatus, à quibus Judæi fuerunt oppressi.

Ratio. Quia Deus eodem instrumento uti potest ad varios & contrarios effectus producendos, & quando hoc facit, gloria ipsius magis illustratur, quia inde apparet effectum non pendere ex instrumento, sed è Deo; neque temere aut fortuito existere, sed certo consilio ordinari ac dirigi.

Usus Directionis, ut in periculis non adeo spectemus media quibus Deus utitur, quam à Deo ipso pendeamus, qui quælibet media potest convertere in suorum bonum.

Docum. VI. *Baptismus est tale medium salutis nostræ spiritualis, quale aquæ diluvium unà cum arcâ fuerunt olim Noë, cum ejus familia, salutis corporalis.*

Colligitur ex v. 21 Dicitur antitypus aquæ illius, non quod aqua fuit typus Baptismi, & Baptismus illius exemplar, sed quod similitudo typica vel repræsentativa inter istas duas aquas intercedit. Similitudo autem in eo consistit, sicut aqua diluvii extollens arcam servabat Noë cum suis in perditione reliquorum, sic Baptismus fidem nostram confirmans, & animas nostras extollens ad Deum in Christo reconciliatum, servat nos in mortificatione peccatorum nostrorum.

Ratio. Quia est institutio Dei.

Usus 1. *Redargutionis*, adversus eos, qui neglectui habent Baptismum.

2. *Directionis*, ut proprium istum usum Baptismi cum illo quæramus, & nobismetipsis ad consolationem nostram applicemus.

Docum. VII. *Baptismus externus non servat nos per se, sed internus.*

Colligitur ex v. 21. Non quo carnis sordes abluuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ.

Ratio 1. Quia baptismus externus communis est fidelibus cum hypocritis.

2. Quia non pertingit ad animam.

3. Quia virtutem salvificam nullo modo habet in sese.

Usus admonitionis, ne nimiam fiduciam in sacramentis externis collocemus, aut in eo acquiescamus, quod baptizati simus, & Cœnæ Dominicæ participemus, sed spiritualem Sacramentorum gratiam perpetuo quæramus.

Docum. VIII. *Baptismi interni & gratiæ efficacis singulare effectum, & signum est stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum.*

Cum enim voluit Apostolus internum Baptismum opponere externo, loco interni ponit stipulationem bonæ conscientiæ tanquam proprium ejus effectū, per quod percipi possit ac dignosci. Per stipulationem autem conscientiæ bonæ intelligitur tota illa confidentia quam habemus coram Deo de ejus reconciliatione,

liatione, quæ præcipue apparet in precationibus, & in pia confessione fidei, & obedientiæ grata cura.

Ratio 1. Quia tum proprie dicimur servari, saltem quoad sensum nostrum, quando conscientiæ nostræ à reatu & servitute peccati liberantur.

2. Quia tranquillitas conscientiæ bonæ est pars nostræ glorificationis.

3. Quia istiusmodi conscientia facit, ut constanter incedamus in via salutis.

Vsus Directionis, ut præcipua nostra cura sit conscientiam bonam retinere coram Deo.

Docum. IX. *Conscentia hujusmodi & salus nostra singulariter ex resurrectione Christi dependet.*

Ratio 1. Quia in resurrectione Christi declarata fuit sententia Dei absolventis nos in ipso ab omni peccato & morte, Rom. 4. 25.

2. Quia Christus excitatus à mortuis perfecit illud potenter, quod morte sua merebatur, Rom. 8. 34.

3. Quia conscientiæ nostræ sursum eriguntur ad Christum in cœlo sedentem.

Vsus Directionis, ut oculos fidei nostræ dirigamus ad Christum, prout suscitatus est à mortuis.

Docum. X. *A tempore resurrectionis summa est gloria & potestas Christi in cœlis.*

Colligitur ex v. ultimo.

Ratio 1. Quia exinanitionis & humiliationis tempus fuit antea consummatum.

2. Quia consentaneum fuit, ut qui ex obedientia singulari maxime fuit humiliatus, ille postea in magnam gloriam exaltaretur.

3. Quia ista gloria & potestas necessario requiritur, ut Christus perficeret omnia quæ pertinent ad Ecclesiæ salutem.

Vsus Consolationis, adversus omnia pericula & terrores, cum talem Salvatorem habeamus in cœlis.

CAPUT IV.

Vers. 1. usque ad 7.

Quum igitur Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini, nempe *quod qui passus est in carne, destitit à peccato.*

Vt non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis vivat.

Sufficit enim vobis præterito vitæ tempore quæ libent Gentibus perpetrasse, incedendo in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus.

Quamobrem illi, *non concurrentibus vobis ad eandem luxus profusionem, peregrinari sibi videntur, blasphemantes:*

Qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos.

Nam idcirco mortuis quoque evangelizatum fuit, ut damnarentur quidem secundum homines, id est, *carne; viverent autem secundum Deum*, id est, *Spiritum.*

ANA-

ANALYSIS.

EX Chriſti exemplo antea propoſito concludit hic Apoſtolus illud, quod propoſuit concludendum, cap. 3. v. 17. & antea v. 11. id eſt, Chriſtianis omnibus declinandum eſſe à malo, & illud quod bonum eſt ſtudioſe proſequendum. Hanc autem concluſionem ita proponit, ut proportione juſta obſervata inter Chriſtum tanquam exemplar noſtrum, & Chriſtianos ad ipſius imaginem regenitos & reformatos, ut pendere illam oſtendat & neceſſario fluere ab exemplo Chriſti. Syllogiſmo ergo tali concludit: *Chriſtiani omnes eadem cogitatione & ſtudio armari debent cum Chriſto ipſo, quoad peccatum & juſtitiam: Sed Chriſtus paſſus in carne deſtitit à peccato, & vixit Spiritu Deo: Omnes ergo Chriſtiani omni cogitatione & ſtudio eo ferri debent, ut illi deſiſtant à peccato vel cupiditatibus hominum, & vivant Deo vel voluntati Dei.* Propoſitio & Aſſumptio ſunt v. 1. Concluſio v. 2. Illuſtratur ita Concluſio per comparationem inter tempus præteritum & reliquum futurum; vel inter illud vitæ genus, quod agere ſolent homines ante vocationem ſuam, & illud quod agere debent poſtquam jam ſunt vocati. De tempore præterito affirmatur, quod tranſactum fuerit more gentium in omnibus cupiditatibus carnis, verſ. 3. De tempore futuro negatur indulgendum eſſe iſtis cupiditatibus, ſed vivendum voluntati Dei v. 2. & 3. initio *ſufficit* &c. ubi etiam ratio quædam innuitur, quare ab ejuſmodi moribus jam ſit deſiſtendum, quia plus nimium offendimus Deum tempore præterito, cujus miſericordia & patientia ſi diutius abuteremur, nihil aliud eſſet nobis expectandum quam iræ & indignationis ejus revelatio, ad confuſionem noſtram æternam. Eadem concluſio & comparatio illuſtratur porro per anticipationem objectionis ac difficultatis, qua retardari poſſit ejuſmodi ſtudium vitæ commutandæ, ac præter morem aliorum agendi. Objectio eſt hoc nimirum, quod novum videbitur multis, apud quos etiam nos eo nomine male audiemus, & ipſa religio blaſphemabitur, verſic. 4. Reſponſio eſt, quod hoc non noſtrum, ſed eorum erit peccatum, cujus etiam rationem reddent Deo in die judicii, verſ. 5. Quod judicium illuſtratur per diſtributionem objecti, ex cujus diſtributionis occaſione novum argumentum adhibetur ad prædictam difficultatem ex animis noſtris tollendam, quia ſcilicet Evangelium eundem finem, & idem etiam effectum habuit apud fideles, qui jam ſunt mortui: ut ſcil. illi damnati ſecundum homines, illam damnationem æquis animis ferentes viverent ſpiritui ſecundum Deum, v. 6.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Debemus nos omnes armare illis cogitationibus, quæ ſuppeditantur nobis ex contemplatione mortis Chriſti.*

Colligitur ex v. 1.

Ratio 1. Quia eo vocamur ut con-

conformes fiamus Chriſto.

2. Quia mors Chriſti, vel Chriſtus crucifixus, eſt brevis ſumma omnis cogitationis ſalutaris, 1 Cor. 2. 2.

3. Quia per iſtas cogitationes magis magiſque induimus Chriſtum, & ejus virtute tanquam armatura completa corroborantur, & præmuniuntur animi noſtri adverſus omne genus tentationum, & hoc reſpectu vox iſta *armamini* uſurpatur in textu.

Uſus 1. *Admonitionis*, ut piis & Chriſtianis meditationibus animos noſtros quotidie muniamus, ne inermes & nudi exponamur periculo tentationum: multum intereſt in aliqua plaga ferenda, aut impetum ſuſtinendo, inter hominem inermem & armatum.

2. *Directionis*, ut in meditationibus noſtris præcipue contemplemur Chriſtum, & quæ pertinent ad mortem & reſurrectionem ipſius.

Docum. II. *Qui veram communionem habet cum Chriſto, ille deſitit à peccato, & ea de re cogitando indies magis magiſque deſiſtit.*

Colligitur ex v. 1. in fine.

Ratio 1. Quia communio noſtra cum Chriſto eſt per Spiritum Chriſti, qui conformes nos reddit morti & reſurrectioni ejus, Rom. 6. per totum cap.

2. Quia in ipſa converſione noſtra ad Chriſtum includitur ſemper averſio à peccato per ſeriam reſipiſcentiam.

3. Quia cogitationes hujuſmodi ſunt ordinaria illa media, quibus actio Spiritus perficitur, & reſipiſcentia noſtra renovatur & promovetur.

Uſus 1. *Redargutionis*, adverſus eos, qui Chriſtum verbis profitentur, reipſa tamen & factis non deſiſtunt à peccatis.

2. *Directionis*, ut hujuſmodi collectiones, aut ſyllogiſmos, aut ratiocinationes apud noſtras conſcientias urgeamus, Rom. 6. 11.

Docum. III. *Qui deſiſtit à peccato, ille non cupiditatibus hominum, ſed Dei voluntati conſtanter vivit.*

Colligitur ex v. 2.

Ratio 1. Quia cupiditates hominum peccatorum ſunt in ſeſe peccata, & in peccatum deducunt.

2. Quia iſtæ cupiditates militant adverſus animas, & nos in converſione noſtra obligavimus nos ipſos ad militandum adverſus ipſas.

3. Quia voluntas Dei eſt unica regula noſtræ vitæ, quæ plane adverſatur cupiditatibus carnalibus.

Uſus Directionis, in ſtatu & conditione noſtra exploranda. Prout enim vita noſtra ſincere dirigitur reſpectu cupiditatum hominum & voluntatis Dei, ſic nos vel in ſtatu peccati, vel in ſtatu gratiæ eſſe certo poſſumus judicare.

Docum. IV. *Fidelibus hominibus pluſquam ſufficiens videtur, quod ante ſuam converſionem tamdiu indulſerint cupiditatibus carnis, & moribus mundanis.*

Colligitur ex v. 3.

Ratio 1. Quia de illis moribus ſancto pudore afficiuntur, Rom. 6. 21.

2. Quia nullum fructum ex illis habent præter pœnitentiam.

3. Quia cum magna Dei miſericordia factum eſſe vident, quod ab illis & à morte quam adferunt, tandem ſunt liberati, eodem cap.

4. Quia quod reliquum temporis eſt, parvum ipſis videtur reſpectu officii, quod ipſis incumbit

in

in Deo quærendo & glorificando.

Vſus 1. *Condemnationis*, adverſus eos qui differunt tempus vitæ ſuæ emendandæ, quaſi non ſufficienter adhuc peccaſſent.

2. *Admonitionis*, ut tempus redimamus & in Dei gloriam & ſalutem noſtram impendamus.

Docum. V. *Inter cupiditates vitioſas & mores mundanos præcipuum locum habet profuſio luxus, quæ in laſciviis, vinolentiis, compotationibus verſatur.*

Ratio 1. Quia in iſtis maxime indulgetur carni nulla habita animi ratione.

2. Quia per iſta demergitur quaſi anima in voluptate carnali, ita ut non poſſit ſeſe attollere ad Deum, & ad res divinas.

3. Quia hæc viam faciunt, & aditum parant diabolo, & diabolicis omnibus flagitiis: inde videtur in textu cum ipſis conjungi nefaria idololatria quia per illa multi eo deducebantur, ut adeſſent conviviis idololatricis, & ſic idola ipſa honorarent, quæ tamen in ſuis conſcientiis nihili faciebant.

Vſus admonitionis, ut caveamus nobis à ſceleratiſſimis iſtis moribus.

Docum. VI. *Mundus hominibus admodum abſurdum videtur, quod homines pii recuſant eo modo vivere, quo ipſimet vivunt.*

Ratio 1. Quia quandam felicitatem putant ſitam eſſe in illo genere vitæ, à qua ut aliquis abhorreat non poſſunt non mirari.

2. Quia dum carnales ſunt non poſſunt rite diſcernere ſpirituales illas rationes, quibus fideles avertuntur ab iſtiuſmodi converſatione.

3. Quia alios ex ſemetipſis metientes, putant omnium animos avide ferri in iſtiuſmodi cupiditates.

Vſus admonitionis, Erga fideles 1. ne putent ſe ita vivere prout eorum vocatio aut profeſſio poſtulat, niſi alieni ſint a vulgaribus moribus mundanorum hominum, uſque ad earum admirationem.

2. Ne moveantur iſtiuſmodi opinionibus hominum, ſed eorum improbationem accipiant, ut approbationis divinæ indicium.

Docum. VII. *Ex hac alienatione animorum quæ oritur ex differentia converſationis, inter fideles & infideles, regenitos & irregenitos, ſæpe fit, ut homines irregeniti Dei veritatem blaſphement.*

Colligitur ex v. 4. in fine. Quamvis enim quodam ſplendore pietatis qui in fidelibus elucet, ita permoventur, ut Deum glorificent, v. 12. cap. 2. & mediũ ſit illos lucrifaciendi, cap. 3. v. 1. vel ſaltem pudore afficiantur, v. 7. tamen alii ſunt qui inde occaſiouem arripiunt blaſphemandi, præcipue quod pii abſtinentes ab illis cupiditatibus & moribus, quos illi maximi faciunt, eoſdem videantur ſerio arguere, tam factis quam verbis.

Ratio 1. Quia omnes illi qui operantur malum, oderunt lucem.

2. Quia ſeparatio hujuſmodi in converſatione vitæ, eſt quaſi damnatio eorum à quibus fit ſeparatio ex conſcentia & religione.

3. Quia impii homines ira & odio excæcati, & ex ſemetipſis de aliis judicantes, imaginantur, ſæpe hanc ſeparationem fieri ex hypocriſi, vel ex ſimulatione, non ex conſcientiæ religione.

Vſus Conſolationis & Confirmationis, animi adverſus tentationes ac moleſtias quæ poſſunt nobis ex

ejuſ-

ejuſmodi blaſphemiis oriri.

Docum. VIII. *Iſtiuſmodi blaſphemiarum ſingularum rationem expoſcet Deus ab hominibus, vel in hac vita, vel in judicio extremo.*

Colligitur ex v. 5.

Ratio 1. Quia læditur ipſius majeſtas in iſtis blaſphemiis magis quam in pleriſque aliis peccatis.

2. Quia graviſſima ſunt illa peccata & proxime accedunt ad peccatum in Spiritum ſanctum.

3. Quia directe tendunt ad regnum Dei & ſalutem ejus impediendum.

Uſus 1. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omnibus iis, qui aliquo modo participant aut communicant iſtiuſmodi peccato.

2. *Conſolationis*, quia Deus ulciſcitur ejuſmodi injurias, debemus eas ad eum devolvere.

Docum. IX. *Deus juſtam rationem habet eorum quæ fidelibus fiunt; non tantum dum vivunt, ſed etiam poſt mortem ipſorum.*

Illo enim ſenſu dicitur *paratus judicare vivos & mortuos*, ubi per vivos & mortuos maxime proprie intelligũtur fideles, ſicut liquet ex v. 6.

Ratio 1. Quia Deus ſemper vivit, & verbum ac fœdus ejus vivit.

2. Quia intereſt gloriæ Dei, ut etiam ſervorum ſuorum qui mortui ſunt cauſam tueatur, & injurias ulciſcatur.

3. Quia impiorum iniquitas ad menſuram ſuam completam ſæpe non acceſſit, ante mortem filiorum Dei quos vexarunt.

Uſus 1. *Conſolationis*, tam in vita quam in morte.

2. *Admonitionis*, ne præcipitemus judicium de viis Dei in patientia & longanimitate ejus; ſed animos noſtros componamus ad patientem expectationem eventus deſiderati.

Docum. X. *Similis eſt plane conditio quoad ſummam rei, fidelium & jam viventium, & eorum qui vixere per omnia ſecula retro.*

Colligitur ex v. 6. cum antecedenti comparato.

Ratio. Quia Deus eſt idem, fides eadem, & è regione etiam diabolus & mundus ſunt ſibi ſimiles.

Uſus Directionis, ne indulgeamus nimis querelis accumulandis de ſeculo præſenti, quaſi ſimile nihil unquam fuiſſet; ſed fortiter pergamus in officio noſtro faciendo, ut noſtro tempore illud pro modulo noſtro præſtemus, quod alii fideles per ſua ſecula præſtiterunt, qui ut de Davide dicitur, Act. 13. 36. Poſtquam ætate ſua inſervierunt Dei conſilio, obdormiverunt in Domino.

Docum. XI. *Compendium breve totius vitæ Chriſtianæ eſt, ita recipere Evangelium, ut renunciantes carni eo nomine judicemur ab hominibus, & ſpiritu noſtro vivamus Deo.*

Colligitur ex v. 6.

Ratio. Quia in eo tota Theologia conſiſtit.

Uſus Directionis, ut examen inſtituamus noſtri ſtatus ſecundum iſtam regulam.

Verſ. 7. uſque ad 17.

Omnium autem finis imminet, Eſtote igitur temperantes & ſobrii ad preces.

Ante

Ante omnia vero charitatem alii in alios intensam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.

Hospitales estote *alii erga alios, absque murmurationibus.*

Vt quisque accepit donum, ita *alius in alium illud subministrantes, ut boni dispensatores variæ Dei gratiæ.*

Si quis loquitur, loquatur *ut eloquia Dei: si quis ministrat,* ministret *tanquam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & robur in secula seculorum. Amen.*

Dilecti, ne tanquam peregrini exploratione illa per ignem quæ fit in vobis ad vestri experimentum, percellimini, ut si peregrinum aliquid vobis accideret.

Imo in eo quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete: ut & quum revelabitur gloria ipsius, gaudeatis exultantes.

Si conviciis afficiamini in nomine Christi, beati estis: *quoniam & ille gloriæ, & ille Dei Spiritus super vos requiescit:* qui *quod ad illos quidem attinet, blasphematur; quod ad vos autem, glorificatur.*

Ne enim quisquam vestrum malo afficiatur, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector.

Sed si ut Christianus, ne pudefiat, imo glorificet Deum hoc respectu.

ANALYSIS.

EX ultimo sermone de judicio Dei, occasionem capit Apostolus exhortationem suam urgendi illo ipso argumento, ad officia pietatis. Primum igitur tertium illud argumentū pro fundamento ponit, Judicium ultimum omnium rerum finem imminere, atque inde concludit in officia pietatis serio ac sedulo esse incumbendum. Hæc autem officia per inductionem partium principalium proponit: 1. Preces cum earum adjunctis, & causis adjuvantibus, temperantia scil. & sobrietate, v. 7. 2. Charitatem mutuam v. 8. quam illustrat 1. A singulari illa cura, qua præ aliis virtutibus est prosequenda; illis verbis: *ante omnia*, deinde à gradu, in quo debet haberi & exerceri, illo verbo: *intentam*; cujus exhortationis rationem etiam reddit ab effecto; quia Charitas operit multitudinem peccatorum. 3. Charitati adjungitur hospitalitas, vers. 9. tanquam specialis Charitatis actus, cujus modus debitus indicatur, ut sit absque murmurationibus, id est, voluntaria, non coacta. 4. Mutua communicatio omnium donorum Dei, vers. 10. Hujus officii ratio redditur partim à natura doni respectu actoris ejus, quod sit gratia Dei; & partim ab illa relatione, quam qui donum acceperunt, ad talem gratiam habent, quod scil. non sint domini, sed dispensatores ejus. Hujus autem communicationis duæ præcipue species proponuntur, describuntur ac suadentur, v. 11. Prima est Communicatio in sermone aut verbo Dei, cujus descriptio & regula est, ut sit conformis naturæ verbi divini. Secunda Communicatio est in facultatibus & opere, cujus descriptio & regula est utraque communicatio, una cum antecedentibus omnibus exhortationibus, à fine & fructu earum gratuito, ut in omnibus glorificetur Deus:

Deus : Quæ Dei glorificatio præsenti ejus prædicatione illustratur, *cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Documenta.

Docum. I. *Finis omnium imminet.* Colligitur ex v. . Potest autem hoc intelligi : 1. de fine omnium hominum qui simul vivunt, quia viva generatio cito transit, atque adeo finis eorum omnium proprie dicitur imminere. 2. Potest etiam eadem ratione intelligi de finali conditione eorum omnium : quia prout quisque moritur, ita quoque permanebit in æternum, vel beatus vel miser. 3. Potest etiam aliquo modo intelligi de fine mundi.

Ratio I. Quia hæc sunt ultima sæcula post quæ nullus adventus Christi potest expectari, nisi ad judicium, neque illa mutatio cultus, nisi ex omnium rerum consummatione.

II. Quia non tardat Dominus promissionem sui adventus, sed præmunit sibi omnia, & judicia suo ordine exhibet illius diei appropinquantis.

Usus Admonitionis, ne cum servo malo longe abesse adventum Dei cogitemus, sed ex certa expectatione congruenter, ad diem illum nosmetipsos præparemus, Matth. 24. 44. 48.

Docum. II. *Ut rite nos præparemus in adventum Domini, requiritur imprimis, ut indesinenter precemur.*

Colligitur ex v. 7.

Ratio I. Quia precibus excitamus fidem, spem, & desiderium nostrum circa illa bona, quibus communicandis adventus Domini inservit.

II. Quia per preces avertimus & amovemus à nobis illa mala, quæ eundem adventum peccatoribus reddunt horrendum: nam confugiendo ad misericordiam Dei, fugimus, tum à nostris peccatis, tum ab ipsius ira.

Usus Exhortationis, ut diligentes simus in precibus.

Docum. III. *Temperantia & sobrietas cum precibus debent adjungi.*

Ibid. Idem est quod passim dicitur *vigilate & orate.*

Ratio I. Quia efficax consideratio finis omnium appropinquantis facit, ut mundum istum minus amemus, & eo ita utamur, ut non abutamur, id est, sobrie & temperanter, 1. Cor. 7. 24.

II. Quia hæc sunt media quibus nostræ preces juvantur & promoventur, idcirco dicitur in ipso textu : *sobrii & temperantes ad preces.*

Usus Exhortationis, ut istis precibus ex conscientia studeamus.

Docum. IV. *Ante omnia studendum est charitati fraternæ, ut sit sincera & intensa.*

Colligitur ex v. 8. Non quod Charitas erga homines dignitate sua excellat fidem, spem & charitatem erga Deum, sed quod præcipuum locum habeat inter ea quæ spectant ad homines, & anteponi debent omnibus iis, quibus aliquo modo posset impediri.

Ratio I. Quia charitas est summa totius legis, atque adeo continet in sese omnia reliqua officia.

II. Quia Charitas operit multitudinem peccatorum, ut est in textu: *inter homines ipsos, ne excitent iras, odia, & contentiones.* Prov. 10. 12.

III. Quia Charitas etiam aliquo modo operit multitudinem nostrorum peccatorum coram Deo, ne pariant scil. ipsius iræ ultionem. Hoc

enim facit ut signum & argumentum quo certiores reddimur de remissione peccatorum nostrorum, quoniam nos remittimus aliis ipsorum offensas, Matth. 6. 15.

Usus Exhortationis, ad studium Charitatis.

Docum. V. *Hospitalitas inter Charitatis actus singularem habet commendationem.*

Colligitur ex v. 9. Rom. 12. 13. Ebr. 13. 2.

Ratio I. Quia in hospitalitate non bona tantum nostra, sed & nosmetipsos familiari conversatione fratribus communicamus.

II. Quia gratius est aliis occasione tali parum accipere, quam alia aliqua ratione multum, quia & tempestivitate & humanitate acceptius redditur quod donatur.

III. Quia amicitia hac ratione magis colitur quam aliis largitionibus.

Usus Increpationis, adversus inhospitales hominum animos & mores. Luxus enim & avaritia hospitalitatem omnem sustulit è medio.

Docum. VI. *Hujus generis officia debent præstari sine murmurationibus.*

Colligitur ex vers. 9.

Ratio I. Quia Deus diligit promptum & hilarem donatorem, 2. Cor. 9. 7.

II. Quia murmuratio ingratum reddit beneficium accipienti.

III. Quia murmuratio est quasi pœnitentia de officio præstito, atque adeo irritum illud facit.

Usus. Ut benefaciendo invigilemus animis nostris, ut recte & congruenter afficiantur.

Docum. VII. *Charitatis officium est subministrare aliis dona quæ accepimus, cujuscunque generis fuerint.*

Colligitur ex v. 10.

Ratio I. Quia dona Dei sua natura tendunt ad gloriam Dei in hominum bono promovendo.

II. Quia istum in finem omnia Dei dona credita sunt nobis, tanquam dispensatoribus gratiæ Dei, sicut est in textu.

III. Quia hoc ipsum postulat communio sanctorum, ad quam etiam credendam & exercendam omnes Christiani vocantur.

Usus I. Consolationis, ex eo quod nullus est Christianus fidelis quin aliquod donum habeat, quo possit aliquid aliis subministrare.

II. *Exhortationis*, ut quisque donum quod habet, exerceat in bonum aliorum.

Docum. VIII. *In illis donis exercendis quæ pertinent ad verbum Dei propagandum aut prædicandum, primaria nostra cura debet esse, ut sic nos geramus uti congruit Verbo Dei.*

Colligitur ex v. 11. princ.

Ratio I. Quia omnis actio recte ordinata justam proportionem debet habere ad suum objectum.

II. Quia tanta est dignitas Verbi divini, ut sine istiusmodi cura non possit illæsa conservari.

III. Quia perit efficacia omnis sermonis de verbo, nisi totam vim suam hauriat ex ipso verbo.

Usus Admonitionis, non tantum erga concionatores, ut sancte, fideliter, & graviter Verbum Dei tractent, sed etiam erga auditores omnes, ut de concione rite judicent, & distinctionem faciant inter illos concionatores, qui loquuntur, ut eloquia Dei, & alios qui loquuntur, ut sermonem aut orationem humanam, & ut ipsimet etiam, si ex occasione privatim agant de Verbo

De

Dei, sancte, graviter, & reverenter agant, uti decet Verbum Dei tractare.

Docum. IX. *Qui vel ope vel facultatibus suis ministrat aliorum necessitatibus, debet illud præstare secundum vires quas accepit à Deo.*

Colligitur ex vers. 11. id est, non debet coacte, parce & cunctanter hoc facere, sed affectu prompto & abundanti, ex viribus & supra vires, voluntarie, 2 Cor. 8. 3.

Ratio I. Quia communicatio ista est quasi sacrificium, quo Deus admodum delectatur, Ebr. 13. 16.

II. Quia ex hac seminatione messis magna benedictionis Dei possit expectari, 2. Cor. 9. 6.

Usus Admonitionis, ne in istiusmodi officiis versemur, secundum morem & consuetudinem aliorum, quasi ipsorum exemplum esset regula nostra, sed secundum vires à Deo suppeditatas.

Docum. X. *Glorificandus est Deus in omnibus.*

Ut Apostolus 1. Cor. 10. 31.

Ratio I. Quia gloria Dei est finis omnium.

II. Quia actiones nostræ non sunt religiosæ, nisi quatenus ad istum finem diriguntur.

III. Quia Deus glorificabit illos, à quibus glorificabitur.

Usus Admonitionis, ne imaginemur officium nostrum in Deo glorificando, ad publicum cultum restringi, sicut multi solent, sed in omnibus habeamus hujus officii rationem.

Docum. XI. *Glorificandus est Deus per Jesum Christum.*

Ratio I. Quia in nomine & virtute Christi agimus omne bonum. Col. 3. 17.

II. Quia illud quod agimus repræsentare debemus coram Deo per Christum.

III. Quia alia ratione non possumus Deum glorificare, quam exemplum Christi sequendo & ejus doctrinam observando.

Usus Directionis, ut Christus sit nobis omnia in omnibus.

Docum. XII. *Ita debemus affici erga Deum in Christo, ut de ipsius gloria sine elevatione cordis ad eum confitendum, optanda, ac fovenda, non possimus cogitare.* Ex illa doxologia, *cujus est robur & gloria in secula. Amen.* Apostolus enim irrumpit in istam prædicationem gloriæ divinæ, quasi impulsus meditatione illius officii, quod jam proposuerat de Deo glorificando.

Ratio I. Quia ex eo apparet dispositio nostra interna ad istud officium præstandum.

II. Quia est principium facti.

III. Quia Deus debet in cordibus nostris regnare, ut ad omnem intimationem eorum, quæ ad ipsius gloriam spectant, non tam consilio, quam naturaliter excitemur, & commoveamur versus ipsum.

Usus Increpationis, adversus communem hominum stupiditatem, qui nihil commoventur iis rebus quæ intime pertinent ad gloriam nominis Divini.

Dilecti, ne tanquam peregrini exploratione illa per ignem quæ fit in vobis ad vestri experimentum, percellamini, ut si peregrinum aliquid vobis accideret.

Imo in eo quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete: ut & quum revelabitur gloria ipsius, gaudeatis exultantes.

Si conviciis afficiamini in nomine Christi, beati estis: *quoniam & ille gloriæ, & ille Dei Spiritus super vos requiescit:* qui *quod ad illos quidem attinet, blasphematur; quod ad vos autem, glorificatur.*

Ne enim quisquam vestrum malo afficiatur, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector:

Sed si ut Christianus, ne pudefiat, imo glorificet Deum hoc respectu.

Nam tempus est *ut incipiat judicium à domo Dei; quod si primum* incipit *à nobis, quis erit finis eorum qui non assentiuntur Evangelio Dei?*

Et si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?

Itaque qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo.

ANALYSIS.

REpetit hic Apostolus exhortationem illam ad persecutiones rite sustinendas, quam semel ac iterum antea adhibuerat, quia hæc adhortatio fuit maxime necessaria, & continet in sese primarium Epistolæ scopum. Repetitur autem hoc in loco tanquam præoccupatio objectionis aut difficultatis, quæ potuit opponi exhortationi antecedenti, qua constans cura suadetur omnium officiorum pietatis. Potuit enim eorum animos, ad quos hæc epistola erat perventura, talis subire cogitatio, & sollicitatio: Per hanc professionem & περίξιν pietatis gravissimas persecutiones accersi, idque præter ipsorum expectationem; ac proinde non esse postulandum ab ipsis, ut eadem via incedendo sibimetipsis accumulent tanta mala. De istis ergo persecutionibus monet Apostolus 1. generaliter, quod non debeat cuiquam Christiano novum quid aut mirum videri, ut inde perturbetur, quod ostendit: 1. Ex ipsarum proprio fine, quod sint quasi ignis explorans fidem, sinceritatem & constantiam fidelium, v. 12. 2. A similitudine quam fideles habent cum Christo in afflictionibus patiendis, quo nomine non tantum non perturbari, sed etiam gaudere debent, quod est perturbationi oppositum. Cujus consequentiæ ratio petitur ab effecto, quia scil. afflictiones hunc in modum ferendo perveniunt fideles ad participationem gloriæ & gaudii æterni cum Christo. 3. Ostenditur ab adjuncta beatitudine, respectu communionis Spiritus Sancti, qui cum à persecutoribus blasphemantur patientibus adest, & ab ipsis glorificatur, v. 14. Hoc autem quod dictum est, ut recte intelligatur, monet Apostolus, non posse hoc de quolibet afflictione affirmari, sed de ea sola quam quis patitur nomine Christi, v. 14. sicut explicatur, v. 15. cum quis non suo merito afficitur mali

malo, sed simpliciter quatenus vel quia est Christianus: ex qua consideratione conclusio ante posita efficaciter deducitur, v. 16. quod scil. illo respectu non debeat pudore affici, aut ita perturbari quasi pudeat ipsum nominis Christi, sed Deum propterea glorificare. 4. Idem declaratur à causa regente vel ordinante istiusmodi eventus, voluntate scil. Dei, qua certum tempus constituit judicium exercendi in domo vel Ecclesia sua, v. 17. princip. Ibi enim quod dicitur de tempore judicii, postea refertur ad voluntatem Dei, v. 19. 5. In eundem finem illustratur conditio fidelium per comparationem conditionis infidelium, v. 17. 18. quæ tali connexione declaratur: Si fidelium conditio adeo sit dura, conditio infidelium debet esse plane intolerabilis, unde tacite innuitur, neque invidendum esse persecutoribus infidelibus, neque à fide propter persecutiones desciscendum. Ex his omnibus conclusio primaria specialiter inseritur. vers. 19. quod fideles in afflictionibus patiendis vera fiducia debeant seipsos armare, adversus omnes perturbationes & tentationes, quæ ex afflictionibus possunt ipsis oriri.

Documenta.

Docum. I. *Afflictiones & persecutiones non debent Christianis novum quid aut peregrinum videri.*

Colligitur ex vers. 12.

Ratio I. Quia fuerunt prædictæ à Christo & Apostolis ejus.

II. Quia Christo ipso cum discipulis ejus primariis similitet ita factum est.

III. Quia talis est indoles mundi, ut ab eo talia sint semper expectanda.

Usus Admonitionis, ne percellamur animis aut perturbemur istiusmodi rebus, ut est in textu.

Docum. II. *Finis & usus afflictionum est exploratio aut experimentum Christianorum.*

Ibid. vide idem docum. cap. 1. v. 7.

Docum. III. *Fideles in afflictionibus & persecutionibus ferendis consortes sunt afflictionum Christi.*

Colligitur ex v. 13.

Ratio I. Quia dum nomine Christi patiuntur, Christus patitur in ipsis secundum illud domini: *Saul, Saul, quid persequeris me?*

II. Quia conformes fiunt morti Christi, Phil. 3. vers. 10.

Usus Consolat. quia in eo materiam habemus gaudendi ut est in textu.

Docum. IV. *Ex istis afflictionibus si cum gaudio ferantur, certum habemus argumentum æterni gaudii & gloriæ postea futuræ.* Ibid.

Ratio I. Quia qui communionem habent cum Christi morte, illi etiam communionem habent cum ejus resurrectione & vita æterna, Rom. 8. 17. 2. Cor. 4. 11.

II. Quia gaudium istud quod in afflictionibus percipitur, pertinet ad primitias gaudii & gloriæ æternæ.

Usus Consolationis, ut summo gaudio discamus pati nomine Christi, Jac. 1. 2. Actor. 5. 41.

Docum. V. *Convitia quibus afficiuntur fideles propter pietatem, annumeranda sunt persecutionibus illis quas patiuntur nomine Christi.*

Colligitur ex v. 14.

Ratio I. Quia eo tendunt ut spolient nos honore & fama, & afficiant contumelia & ignominia.

II. Quia animos autorum indicant paratos ad graviora mala inferenda, si occasio ferat.

III. Quia in quibusdam animis magis penetrant convitia, quam injuriæ quædam reales.

Usus I. Admonitionis, erga omnes, ut caveant sibi ne aliquam communionem habeant cum scelerato mundo, in irrisione alicujus partis pietatis veræ.

II. *Admonitionis* erga pios, ne singulariter se commoveri patiantur hujusmodi convitiis, sed eadem patientia illa ferant, qua cæteras persecutiones debent ferre.

Docum. VI. *In istis convitiis quibus nomine Christi afficiuntur pii, & spiritus Dei singulariter ab altera parte blasphematur, ab altera glorificatur.* Ibid.

Ratio. Quia quatenus fideles professionem faciunt veræ pietatis, eatenus sunt templa Spiritus Sancti. Cum igitur eo respectu convitiis afficiuntur, Spiritus iste Sanctus blasphematur: & dum convitiis istis non obstantibus professionē suam retinent & exornant, idem Spiritus qui à convitiantibus blasphematur ab ipsis glorificatur.

Usus I. Ad terrorem convitiatorū.

II. Ad consolationem eorum qui convitiis afficiuntur. Quæ habentur v. 13. fuerunt antea tractata c. 2. & 3.

Docum. VII. *Deus habet certa & statuta tempora judicia sua exercendi.*

Colligitur ex v. 17. in princip.

Ratio I. Quia patientia & longanimitas Dei suum tempus debent habere.

II. Quia tempus etiam requiritur, ut homines mensuram suorum peccatorum possint implere.

III. Quia certæ sunt opportunitates temporum, quibus judicia Dei majori cum fructu exercentur quam alias possent.

Usus Admonitionis, ne vel tarditatis vel præcipitantiæ Deum ullo modo arguamus respectu suorum judiciorum, sed in ipsius sapientissima ordinatione acquiescamus.

Docum. VIII. *Incipit sæpe judicium à domo Dei, id est ab Ecclesia.* Ibid.

Ratio I. Quia peccata eorum qui Dei nomen profitentur, nomen Dei & honorem singulari quadam ratione lædunt, atque adeo quo magis Deum offendunt debent coërceri.

II. Quia primaria Dei cura est Ecclesiam suam per istiusmodi castigationes purgare.

III. Quia in istis correctionibus Ecclesiæ instrumentorum sæpe locum habent infideles, qui idcirco debent antea tolerari, ut possint consilia Dei perficere, & postea plecti, quia tam improbe fecerunt.

Usus Directionis, ne animis percellamur cum Ecclesiam videmus præ aliis populis affligi, sed divinam hanc Dei dispensationem agnoscamus.

Docum. IX. *Judicium quod Deus exercet in Ecclesiam suam certissimum argumentum est judicii severissimi & gravissimi suo tempore superventuri in homines impios & infideles.*

Colligitur ex vers. 17. 18. Jer. 25. vers. 29.

Ratio I. Quia Deus cum Ecclesia sua agit tanquam pater, sed cum aliis acturus est tanquam judex.

II. Erga Ecclesiam in medio judiciorum memor est misericordiæ, sed erga impios & infideles exercet vindictam.

III. Quia judicium fidelibus cooperatur in bonum, sed in infidelibus nullam habet talem mitigationem.

Usus I. Consolationis, fidelium in suis afflictionibus.

II. *Admonitionis*, erga infideles in

suis persecutionibus, & securitate carnali.

Docum. X. *Qui malis afficiuntur nomine Christi, illi proprie affliguntur ex voluntate Dei.*

Colligitur ex v. 19. comparato cum v. 14. 16.

Ratio I. Quia ipsorum peccata sæpe non sunt causæ harum afflictionum, sed voluntas Dei ipsos probans & explorans.

II. Quia voluntas est Dei revelata, istiusmodi afflictiones esse sortem fidelium, & viam per quam perveniri solet ad regnum Dei.

III. Quia ipsa professio talium afflictionum pars est obedientiæ erga voluntatem Dei revelatam.

Usus Consolationis, adversus molestiam harum afflictionum.

Docum. XI. *Qui hunc in modum affliguntur, possunt suas animas Deo commendare.*

Colligitur ex eodem vers.

Ratio I. Quia cum Dei nomine patiuntur, Deus cum ipsis aliquo modo patitur, ac proinde eorum causa est causa Dei.

II. Quia in illo officio quod Deo præstamus, tanquam ejus servi, possumus ab ipso tanquam à Domino protectionem expectare.

III. Quia dum animi nostri exponuntur periculo propter Deum, Deus non potest illos sibi non habere non commendatos.

Usus Consolationis, quod explicatur & illustratur ab Apostolo Paulo, 2. Tim. 1. 12.

Docum. XII. *Debent hoc facere bene agendo.*

Colligitur ex eodem vers. Roman. 1.

Ratio I. Quia non possunt pati nomine Christi, nisi quatenus bene agendo patiuntur.

II. Quia non possunt fiduciæ libertatē conservare, nisi per conscientiam bonam, id est, bene agendo.

III. Quia malam causam Deo commendare, est quasi Deum facere mali Patronum.

Usus Admonitionis, ut caveamus, ne male agendo summo isto privilegio nosmetipsos privemus.

Docum. XIII. *Eorum qui animas suas Deo commendant, Deus est conservator ac protector fidelis.*

Ratio I. Quia tam facile est ipsi nostras animas conservare, atque olim fuit condere: hac ratione vocatur in textu: *Deus Conditor*, non *Conservator.*

II. Quia interest ipsius gloriæ hoc præstare.

III. Quia fidelitas & veracitas promissionum ipsius tantundem postulat.

Usus Consolationis, in adversitatibus & angustiis omnibus: *Commendent animas fideli conditori*, inquit Apostolus.

CAPUT V.

à Vers. 1. usque ad 5.

Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego unà Presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem gloriæ consors, quæ futurum est ut reveletur:

Pascite Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes non coacte, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo.

Neque ut dominantes cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis.
Et quum manifeſtus factus fuerit ille Paſtorum Princeps, reportabitis amarantinam illam gloriæ coronam.

ANALYSIS.

SPecialis hic proponitur exhortatio ergà Presbyteros, ut officium & munus ſuum ſancte implerent. Officium in genere declaratur, quod ſit paſcere gregem illum cui fuerunt præfecti diligenti inſpectione & cura. verſ. 2. princ. Et ſimul deſcribitur tribus conditionibus in eo ſingulariter requiſitis, quæ illuſtrantur per dehortationem à tribus contrariis vitiis quæ tribus illis conditionibus opponuntur: 1. Conditio eſt libenter paſcere gregem, cui vitium oppoſitum eſt, hoc facere coacte. 2. Prompte & libere hoc facere: Vitium huic oppoſitum, lucrum inde turpiter affectare. 3. Non tantum doctrina, ſed exemplo vitæ præire Eccleſiæ, cui vitium oppoſitum eſt, dominium in Eccleſiam exercere. Hoc officium ita declaratum & deſcriptum ſuadetur ab adjuncto præmio, quod eo nomine accipiunt fideles omnes paſtores verſ. 4. in fine: Quod præmium illuſtratur, & ſua interna natura, quod ſit immarceſſibilis gloriæ corona, & autore vel datore ſuo, quod ſcilicet communicabitur à principe paſtorum domino noſtro Jeſu Chriſto, & etiam tempore huius communicationis, quando manifeſtus factus fuerit ille Paſtorum Princeps, id eſt, ultimo die judicii. Hæc autem exhortatio ut eſſet efficacior & magis penetraret, arguitur & illuſtratur à perſona ipſius Petri, qui fuit adminiſtrans ejus cauſa 1. ex paritate & ſocietate muneris ejuſdem, ut Petrus presbyter precabatur alios presbyteros ut ſuum officium facerent. 2. ex Scientia quam habuit & teſtimonio quod potuit dare de afflictionibus Chriſti quas ille pro Eccleſia paſſus eſt, & quarum commemoratio omnes paſtores excitare debet ad ſollicitam ejuſdem Eccleſiæ curam. 3. A certa illa expectatione quam habuit gloriæ futuræ, quam gloriam omnibus paſtoribus promittit nomine Principis paſtorum.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Efficaciſſimæ ſunt exhortationis quæ humili modo proponuntur.*

Colligitur ex verſ. 1. ubi Apoſtolus precatur, non præcipit, ex humilitate & charitate.. Phil. 8. 9. 1. Timoth. 5. 1. Precatur etiam presbyteros ut compresbyter, quamvis fuerit in altiori gradu poſitus ut Apoſtolus.

Ratio I. Quia ex iſthoc agendi modo liquet eum qui hortatur non ſpectare ſemetipſum ſed alterius bonum.

II. Quia zelus purior non iſthoc agendi modo elucet.

III. Quia honore afficitur ille contra quem talis exhortatio exhibetur, adeoque facilius ab ipſo admittitur.

Uſus Directionis, ut in omnibus exhortationibus & admonitionibus rationem habeamus hujuſmodi obſervandi.

Docum. II. *Pertinet etiam ad efficaciam*

efficaciam exhortationis, ut quis ex certo judicio & ex communione affectus loquatur.

Ex eo quod Petrus viam facit exhortationi ſuæ, quod teſtis fuerit afflictionum Chriſti, atque adeo certam habuerit ſcientiam earum rerum quæ pertinent ad Chriſtum; & quod fuerit ejuſdem gloriæ conſors, ac proinde eodem modo afficiebatur in ſeſe, quo ipſos affici cupiebat.

Ratio I. Quia ſcientia dat facultatem, & auctoritatem, affectus autem communis addit zelum, & charitatem exhortationi.

II. Quia iſta duo tollent objectiones illas:, quibus efficacia exhortationis ſolet impediri; vel ſcilic. judicium ferri de rebus ignotis, vel ſaltem ab homine inexperto, de quo recte dici poteſt, Tu ſi hic eſſes aliter ſentires.

Uſus Directionis, Ut earum rerum de quibus alios hortari debemus, & ſcientiam nobis acquiramus & affectus etiam congruentes.

Docum. III. *Exhortandi ſunt homines ſingulariter ad illa officia quæ pertinent ad eorum proprias aut ſingulares functiones vel vocationes*

Colligitur ex verſ. 2. Ubi paſtores excitantur ad gregem paſcendum.

Ratio I. Quia particularis cujuſque functio eſt illa ſtatio in qua Deus eum collocavit ad gloriam ſuam promovendam.

II. Quia fidelitas hominis in iſthac ſtatione maxime exploratur.

III. Quia officia vocationis generalis in particulari cujuſque Chriſtiani conditione debet exerceri.

Uſus Admonitionis, ut unuſquiſque maxime curet officia illa quæ ſunt propria vocationis ſeu conditionis ipſius.

Docum. IV. *Paſtoris officium proprium eſt paſcere gregē ſibi commiſſum.*

Colligitur ex verſ. 2.

Ratio I. Quia poſiti ſunt paſtores ad ædificationem Eccleſiæ, Philip. 4. Paſcere autem nihil aliud eſt quam omnibus mediis à Deo inſtitutis procurare Eccleſiæ ædificationē.

II. Quia paſtores propriè dantur fidelibus converſis, qui ut modo geniti infantes debent lacte & cibo nutriri & ſimul educari, donec pervenerint ad perfectionem.

III. Quia inſpectores Eccleſiæ illa debent maximè curare, quæ Eccleſiæ ſunt maximè neceſſaria, ſed fidelibus imperfectis maximè neceſſarium eſt, ut vita ipſorum ſpiritualis paſcendo conſervetur ac promoveatur.

Uſus Admonitionis, I. Erga miniſtros, ut ne cogitent leve aliquod aut vulgare officium eſſe quod ipſis incumbit, ſed ipſam vitam Eccleſiæ ex ipſorum opere & miniſterio aliquo modo pendere, ut proinde ita ſeſe gerant ut muneri tam gravi congruit. 2. Erga populum ne expectent à miniſtris vana & levia quæ aures ipſorum titillarent, ſed accedant ad concionem tanquam ad menſam domini, & quærant cibum ſpiritualem quo animæ ipſorum paſcantur ad æternam vitam.

Docum. V. *Paſtores debent munus ſuum ſuſcipere & implere libenter, non coacte.*

Ibid. Per coactionem autem intelligitur illa impulſio à rebus externis proficiſcens, qua quis vel ad inopiam vitandam, vel ad ignominiam, infamiam vel cenſuram declinandam miniſtri partes aliquo modo tuetur.

Ratio I.

Ratio I. Quia quod coacte fit, non venit à corde tanquam a principio interno, neque à ſpiritu ſanctificante; atque idcirco non eſt officium Deo gratum.

II. Quia quod non provenit ex corde & fit ex animo, illud perfunctorie tantum agitur, & non cum diligentia & cura illa quam Deus requirit.

III. Quia quod non provenit ex animo & intimo cordis affectu, non ſolet in aliorum animos penetrare, ac proinde non eſt efficax ad ædificationem Eccleſiæ, quæ eſt miniſterii finis.

Uſus Admonitionis: Ut non tantum intelligentia, ſed etiam diſpoſitio voluntatis & cordis in miniſtris Eccleſiæ ſpectetur.

Docum. VI. *Debent idem facere prompto animo, non propter lucrum.*

Per lucrum autem intelligitur omne genus commodi mundani, quod ſibimet homines acquirunt, ſive in re facienda: ſive in fama comparanda, ſive in amicis conciliandis & ſimilibus.

Ratio I. Quia quod pendet ex lucro aut ſimili aliquo fine, debet eo neceſſario accommodari & hoc eſt cauponari ſermonem Dei. 2. Cor. 2. 17.

II. Quia quod pendet ex rebus mutabilibus illud etiam eſt mutabile & conſtans.

III. Quia qui lucrum quærit non agit miniſtrum Dei, ſed Mammonis.

Uſus Admonitionis erga miniſtros, ne lucrum conſectentur, & erga populum ne miniſtros inopia tentari patiantur, ac minus promptos ac hilares in munere ſuo ferri. Ebr. 13. verſ. 17.

Docum. VII. *Dominationis affectatio longe debet abeſſe à Chriſti Miniſtris.*

Colligitur ex v. 3.

Ratio I. Quia vocantur ad miniſterium merum, non ad dominationem.

II. Quia Chriſtus ipſe, cujus miniſtri ſunt, de induſtria verſatus eſt inter homines tanquam miniſter, ut præberet exemplum iis qui ipſius nomine aliis miniſtrarent. Luc. 22. verſ. 27.

III. Quia opus illud in quo exercentur non ſubjicitur imperio & dominio humano. Religio enim ab hominibus non poteſt imperari, ſed ſuadi tantum.

VI. Quia dominatio miniſtrorum alienat animos hominum ab ipſorum teſtimonio, quoniam neque ſemetipſos libenter ſubjiciunt dominium affectantibus, & eos neque gloriam Dei, neque Eccleſiæ bonum quærere autumant, quos ſuæ propriæ gloriæ & poteſtati ſtudere vident.

Uſus Admonitionis erga omnes miniſtros, ut caveant ſibi ab omni non tantum affectu, ſed etiam ſpecie dominationis. Speciem autem dominationis habent. 1. Qui alios volunt ex ſua auctoritate aliquo modo pendere. 2. Qui aliquid præſcribunt tanquam neceſſario credendum aut faciendum, quod ex verbo Dei non depromitur. 3. Qui voluntatem ipſam Dei nimis imperioſe exponunt, nulla habita ratione infirmitatis eorum quibuſcum negotium habent.

Docum. VIII. *Miniſtri debent populo non tantum verbo, ſed etiam exemplo præire.*

Colligitur ex verſ. 3.

Ratio I.

Ratio I. Quia vocantur ut omnibus ſuis viribus paſcant gregem, & proinde non verbis tantum ſed etiam factis Eccleſiam debent ædificare.

II. Quia improba vita prædicationem vel plane deſtruit, vel multum enervat & labefactat.

III. Quia exemplum bonum habet ſingularem ſuam efficaciam, quatenus illud ipſum quod fieri debere prædicatur, fieri poſſe declarat.

IV. Quia omne præjudicium & ſuſpicionem Dominationis & inanis gloriæ affectatæ ex animis hominum tollit, quando vident miniſtros ſerio facientes quod aliis faciendum proponunt & ſuadent.

Uſus Exhortationis primo erga miniſtros ut ſtudeant vitæ exemplari: ſecundo erga populum, ut bonæ vitæ miniſtrorum velint eſſe imitatores, idcirco enim proponuntur ii tanquam exemplaria. Vitia vulgaria huic officio oppoſita, Quod multi illa ſola obſervant in miniſtris, quæ poſſunt carpere aut calumniari, & non ea quæ debent imitari, eo animo ut imitentur: Quod multi imaginentur ſingularem quandam ſanctitatem eſſe proprie miniſtrorum ad quam cæteri non teneantur aſpirare: Quod multi hoc prætextu excuſant ſuos mores improbandos, quod ſint Laici non Eccleſiaſtici aut Clerici.

IX. *Miniſtris non ab hominibus, ſed à Chriſto juſtum ſui laboris ac curæ præmium ac merces expectanda eſt.*

Colligitur ex verſ. 4.

Ratio I. Quia Chriſtus eſt princeps paſtorum, & Dominus gregis, ut eſt in textu.

II. Quia mala multa debent ab hominibus expectari, & quæ bona obtingunt non ſunt talia, aut tanti facienda ut ab illis debeant pendere.

III. Quia illi maxime placere ſtudebunt à quo mercedem expectant. Chriſto autem non hominibus debent placere.

Uſus Conſolationis: Erga miniſtros pios adverſus illas moleſtias quas ab hominibus creari ſibi experiuntur.

Docum. X. *Merces eorum eſt æternæ gloriæ corona.*

Ratio I. Quia gloria eſt merces omnis obedientiæ erga Deum fidelibus. In miniſterio autem eſt obedientia ſingularis.

III. Quia legitime certantibus aut currentibus in ſtadio ſolebat proponi corona, ſic in certamine miniſterii bene ſe gerentibus, præter gloriam omnium ſanctorum communem, ſingularis aliqua acceſſio præparatur, quæ eſt inſtar coronæ.

Uſus Exhortationis, ut pro iſta corona gloriæ æternæ ignominiam temporariam fortiter contemnant.

Docum. XI. *Iſta corona gloriæ tum erit perfectè communicanda, cum Chriſtus ſecundo venerit ad Judicium.*

Uſus Admonitionis. Ut patienter perſeveremus uſque ad finem.

Verſ. 5. 6. 7.

Similiter juniores ſubjecti eſtote ſenioribus & omnes viciſſim ſubjicimini. Submiſſione animi eſtote intus ornati: nam Deus ſuperbis obſiſtit, ſubmiſſis autem dat gratiam.

Submittite

Submittite vos igitur robuſtæ manui Dei: ut vos opportuno tempore extollat: Omni ſollicitudine veſtra in eum conjecta: nam illi cura eſt de vobis.

ANALYSIS.

EX officio ſeniorum erga Eccleſiæ vel juniores, quod Apoſtolus in ſuperioribus verſiculis deſcripſerat & perſuaſerat, concludit officium juniorum erga ſeniores per collationem parium vel ſimilium: ſicut prima illa voce verſus quinti indicatur, *Similiter*. Officium hoc generaliter deſignatur per ſubjectionem, quæ altero officio illuſtratur, quod non tantum presbyteris, ſed & omnibus Eccleſiæ membris debetur, propter naturam illam communem quam habent cum priori. Vocatur etiam ſubjectio illis verbis, *& omnes viciſſim ſubjicimini*. Hæc autem ſubmiſſio tam erga presbyteros quam erga omnes. 1. deſcribitur qualis eſſe debeat, non ſcilicet externa tantũ ſed proveniens ab interna ſubmiſſione animi erga Deum, *ſubmiſſione animi eſtote intus ornati*. Quod autem intelligitur de ſubmiſſione erga Deum colligitur ex v. 6.

II. Suadetur eadem ſubmiſſio primo obiter quod ſit ornamentum animi. 2. Ab adjuncta benedictione Dei, quæ ex illa conſequitur, *Deus ſubmiſſis dat gratiam*, quæ oppoſita maledictione divina ſuperbis incumbente illuſtratur, *Deus ſuperbis obſiſtit*. 3. Urget & inculcat eandem ſubmiſſionem erga Deum verſ. 6. *ſubmittite vos igitur*, & explicat propriam rationem hujus ſubjectionis, quæ eſt robuſta manus vel omnipotentia Dei; & ſimul explicat rationem illam quam antea propoſuerat de benedictione & gratia Dei erga ſubmiſſos, quod ſcilicet per illam gratiam extollentur: cujus exaltationis adjectum temporis notatur quod erit opportunum, *ut vos opportuno tempore extollat*. Ultimo in loco per anticipationem tacitæ ſed graviſſimæ objectionis, qua iſta ſubmiſſio difficilis reddi ſolet, geminus modus ejus declaratur, quod ſcilicet conjungi debeat cum illa fiducia quæ ſollicitudinem omnem conijcit in Deum, ita ut nullus metus aut cura mundana poſſit iſtam ſubmiſſionem impedire, quæ fiducia ſuadetur ab efficaci illa providentia quam Deus circa fideles habet in ipſorum bonum verſ. 7. in fine. *Nam eſt illi cura de vobis.*

DOCUMENTA.

Docum. I. *Similis eſt ratio populi erga paſtores ſuos, quæ eſt paſtorum erga populum.*

Colligitur ex verſ. 5. initio.

Similiter juniores. Per *juniores* autem hoc loco maxime intelligitur grex qui pendet à paſtoribus, quia paſtores & presbyteri maxima ex parte electi fuerunt ex ſenioribus ætate, & proinde maxima pars gregis conſtabat ex junioribus. Simile autem eſt officum non quod eodem genere verſetur, qua populus debeat regere paſtores, ſicut paſtores regunt populum, ſed quia par eſt ratio officii utriuſque.

Ratio I. Quia idem Deus & Dominus Paſtorum & populi, utriſque ſuum officium impoſuit ac præcripſit.

II. Quia

II. Quia relatio illa quæ intercedit inter paſtorem & populum, mutuam viciſſitudinem officii requirit.

III. Quia paſtoris opera & cura redditur inanis, niſi populus eidem aliquo modo reſpondeat.

IV. Quia paſtorum cura & labor in ſalutem populi tendens hoc ipſum meretur.

Uſus Increpationis, adverſus eos qui admodum curioſe & rigide officium exigunt à paſtoribus, cum officium tamen proprium ſusque deque habent.

Docum. II. *Officium populi erga ſuos paſtores præcipue conſiſtit in ſubjectione.*

Ratio I. Quia paſtores Dei nomine ipſi præſunt.

II. Quia fideles paſtores nihil ipſis proponunt obſervandum præter Dei voluntatem, cui ſubjectio & obedientia neceſſario debetur.

III. Quia in vocatione paſtorum hoc ipſum vel expreſſe vel tacite ſaltem promiſerunt.

Uſus Increpationis, adverſus eos qui ad conciones accedunt, tanquam judices, ut Criticum ſuum exerceant, non ut ſubjiciant ſeſe voluntati Dei; & qui omnem diſciplinam tanquam jugum intolerabile rejiciunt.

Docum. III. *Subjectio etiam quædam debetur omnibus Chriſtianis.*

Colligitur ex illis verbis: *Omnes viciſſim ſubjicimini.*

Ratio I. Quia ex occaſione ſubmittere nos debemus ad humillima officia fratribus noſtris præſtanda.

II. Quia ſubjicere nos debemus privatis admonitionibus fratrum.

III. Quia cum omni patientia tolerare debemus omnes infirmitates fratrum.

Uſus Redargutionis: adverſus arrogantiam ac ſuperbiam hominum, qui ab omni hujuſmodi ſubjectione ſunt prorſus alieni.

Docum. IV. *Submiſſio animi eſt magnum ornamentum.*

Ratio I. Quia humilitas eſt virtus ſingularis, & cæterarum omnium aliquo modo fundamentum.

II. Quia gratos nos & acceptos reddit hominibus piis, quibus hac ratione reddimur utiliores.

III. Quia commendationem habet ſingularem coram Deo, cum propter ipſum ſubjicimur non tantum ſuperioribus, & æqualibus, ſed etiam infimis.

Uſus Refutationis, adverſus omnes qui decus quærunt ex arrogantia, & ſubmiſſionem animi fugiunt tanquam vilem abjectionem.

Docum. V. *Deus ſuperbis reſiſtit.*

Ratio I. Quia ſuperbi voluntati Dei reſiſtunt.

II. Quia quærunt ſibi indebita, vel indebito ſaltem modo.

III. Quia quicquid à ſuperbia provenit, cedit in contumeliam Dei, cui omnis ſubjectio debetur.

Uſus Condemnationis, adverſus homines ſuperbos.

Docum. VI. *Deus ſubmiſſis dat gratiam.*

Ratio I. Quia promiſſio gratiæ facta eſt ſubmiſſioni & humilitati.

II. Quia ſubmiſſio animi eſt diſpoſitio & præparatio ad gratiam recipiendam.

III. Quia ſoli humiles & ſubmiſſi condignam habent æſtimationem gratiæ divinæ.

Uſus Exhortationis, ut ſummopere ſtudeamus animi ſubmiſſioni.

Docum. VII. *Robur & poteſtas Dei nos movere debet ad ſubjectionem*

erga ipsum.

Colligitur ex v. 6. princip.

Ratio I. Quia insania esset resistere omnipotenti.

II. Quia omnipotentia Dei est eorum protectio qui semetipsos ei subjiciunt.

Usus Admonitionis, ne ulla imaginatione abduci nos sinamus ab obedientia erga Deum, sed ex omnipotentia Dei & infirmitatis nostræ meditatione proficiamus indies in hac submissione.

Docum. VIII. *Submissos Deus opportuno tempore extollit.*

Colligitur ex v. 6. in fine.

Ratio I. Quia gloria est merces obedientiæ.

II. Quia Deum extollunt ac proinde ab ipso extollentur juxta promissionem illam : *honorantes me honorabo.*

Usus Directionis, ut per humilitatem & submissionem quæramus veram exaltationem.

Docum. IX. *Qui Deo sese submittunt, tuto possunt ac etiam debent sollicitudinem suam omnem in Deum conjicere.*

Colligitur ex v. 7.

Ratio I. Quia hoc est fœdus Dei, se omni-sufficientem semper futurum iis qui ambulant coram ipso.

II. Quia Deus singulari cura & providentia invigilat iis, qui ipsius gloriam curant, & regnum quærunt, ut est in textu : *illi cura est de vobis.*

Usus Consolationis, erga omnes pios, quia Deus liberavit ipsos ab omni anxietate, & illi debent istam libertatem per fiduciam veram amplecti, & sibimetipsis applicare.

Vers. 8. 9. 10. 11.

Sobrii estote, vigilate : nam adversarius ille vester diabolus, ut Leo rugiens, obambulat, quærens quem absorbeat.

Cui obsistite firmi per fidem, ut qui noveritis easdem afflictiones, à vestra quæ in mundo est fraternitate peragi.

Cæterum Deus omnis gratiæ auctor, *qui vocavit vos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu paulisper afflictos, is*, inquam, *perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet.*

Ipsi gloria & robur in secula seculorum Amen.

ANALYSIS.

PRo conclusione totius epistolæ antecedentibus adhortationibus adjicitur una maxime generalis, quæ intime spectat ad scopum Apostoli, ut scilicet non obstante omni oppositione, difficultate & tentatione constanter permanerent & pergerent in illa gratia, quam acceperunt. Hæc autem cura describitur : 1. Duobus officiis, quæ pertinent ad debitum ejus modum, Sobrietate & Vigilantia. 2. Necessitas horum officiorum ostenditur ex gravissimo illo periculo, cui alias essent obnoxii. Hoc autem periculum declaratur ab efficiente ejus causa, diabolo, cujus in illum finem descriptio adhibetur : 1. Ab oppositione & inimicitia, quam adversus nos habet; cujus respectu vocatur, *adversarius* aut hostis :

ſtis. 2. A modo & gradu illius inimicitiæ, quod ſit cum crudelitate & truculentia conjuncta, *tanquam leonis rugientis.* 3. Quod huic truculentiæ ſumma diligentia, & aviditas malefaciendi accedit, illis verbis: *quærens quem devoret.* Huic autē hoſti & periculo ab ipſo imminenti non cedendum ſed reſiſtendum eſſe monet, v. 9. princip. quod nihil aliud eſt, quam ne patiamur nos per ejus tentationes à gratia Dei removeri: hujus etiam reſiſtentiæ primarium medium indicatur in firmitate fidei: cujus fidei confirmationem quandam ſingularem hac in parte petendam eſſe docet ab exemplo aliorum fratrum per totū mundū, qui ſimiles afflictiones & tentationes Sathanæ ſolent experiri. Huic exhortationi conſentanea ſubjungitur precatio, verſ. 10. Quia ſucceſſus noſtrorum omnium conatuum ex Dei gratia & benedictione pendet in hac precatione: poſtulatur autem à Deo confirmatio, & conſummatio fidelium in omni gratia, in fine verſ. *perficiat, ſtabiliat, roboret, fundet.* Argumenta quibus fides confirmatur de hac petitione obtinenda, ſunt duo: 1. Omni-ſufficientia gratiæ Dei in ſeſe, quo reſpectu titulus hic tribuitur Deo, quod ſit Deus omnis gratiæ. 2. Communicatio hujus gratiæ in vocatione fidelium, illis verbis: *qui vocavit vos*, cujus vocationis gratia declaratur: 1. A fine & ſcopo, quod ſit ad gloriam æternam Dei participandam. 2. A cauſa principali: *In Chriſto Jeſu.* 3. A conditione quæ conſummationem hujus vocationis antecedit, & ad exhortationem iſtam Apoſtoli ad conſtantiam in tentationibus proprie ſpectat, quod ſcil. ita vocamur ad gloriam æternam, ut interim afflictiones perferre debeamus. *pauliſper afflictos.* Ultimo in loco ex occaſione hujus precationis religioſa ſubiicitur glorificatio Dei, verſ. 11. qua continetur & ultimus finis illius petitionis, & ejuſdem etiam exaudiendæ confirmatio, nec non obliqua quædam exhortatio erga fideles, ut omni cura eo incumberent, ut per ſiſtendo in gratia Dei nomen ipſius reipſa & efficaciter glorificarent.

Documenta.

Docum. I. *Vigilantia perpetua eſt nobis neceſſaria, vigilate.*

Ratio I. Quia peccatum & periculum ſua ſponte obrepit, niſi eidem reſiſtatur.

II. Quia officium noſtrum facere non poſſumus ſine ſtudio & cura diligenti, in quibus vigilandi ratio conſiſtit.

III. Quia ſi periculum vitare poſſimus, & votorum compotes fieri, niſi cura & vigilantia id quæreremus, non eſſet nobis laudi aut conſcientiæ tranquillitati.

Uſus Directionis, ut imitemur vigiles, qui excubias agunt in urbe aliqua cuſtodienda, ſimilem diligentiam adhibentes in animis noſtris conſervandis, id eſt, ut examen inſtituamus omnium ingredientium & exeuntium cogitationum, affectuum, verborum, actionum una cum occaſionibus ipſorum, qualia ſint, unde veniant, quo tendant.

Docum. II. *Ad vigilantiam debitam neceſſaria eſt ſobrietas.*

Per ſobrietatem autem intelligitur moderatio affectuum noſtrorum circa res mundanas omnes.

Ratio I. Quia curæ hujus mundi ita gravant animum, ut ſpiritua-

libus

libus curis nullum locum relinquant.

II. Quia mundi cura abſtrahit animum & diſtrahit, ita ut quamvis religionem non plane excludat, tamen minuat & enervet.

III. Quia ſub ſpecie mundani alicujus commodi, voluptatis aut honoris, admittuntur ſæpe illa, quæ noſtras animas produnt & perdunt.

Uſus Admonitionis, ne immergamus noſmetipſos rebus mundanis, ſed ita utamur mundo quaſi non uteremur, 1. Cor. 7. 31.

Docum. III. *Talem habemus hoſtem ſpiritualem, ut perpetuis excubiis nobis opus ſit adverſus ipſum.*

Ratio I. Quia ſpirituali malitia & aſtutia abundat.

II. Quia diligentiam adhibet malitiæ parem.

III. Quia feram truculentiam ſpirat, non leve aliquod incommodum noſtrum quærens, ſed omnimodam perditionem.

Uſus Admonitionis, ne unquam ſecutitati indulgeamus, ſed interdiu noctuque memores vivamus illius periculi in quo verſamur.

Docum. IV. *Reſiſtendum eſt diabolo fortiter.*

Colligitur ex verſ. 9.

Ratio I. Quia hoſtis eſt talis cum quo nullam pacem aut inducias poſſumus habere.

II. Quia qui cedunt diabolo, ſemetipſos tradunt victos.

III. Quia comparatio & confirmatio animi ad reſiſtendum eſt magna pars victoriæ ſpiritualis.

Uſus Exhortationis, ut ad iſtam reſiſtentiam animos noſtros in omnibus obfirmemus.

Docum. V. *Primaria reſiſtendi virtus conſiſtit in fide firma.*

Colligitur ex illis verbis: *Obſiſtite in fide firmi.*

Ratio I. Quia fides apprehendit Chriſtum diaboli victorem, & in eo victoriam ipſam apprehendit.

II. Quia fides apprehendit veritatem omnium promiſſionum, quibus anima invincibiliter munitur.

III. Quia fides cum ſit fundamentum omnis gratiæ, ſi excitetur & confirmetur, confirmat etiam & corroborat omnes reliquas virtutes.

Uſus Directionis, ut præcipuam curam habeamus fidei noſtræ excitandæ & ædificandæ.

Docum. VI. *Exempla aliorum fidelium multum faciunt, ad fidem noſtram confirmandam in afflictionibus & aliis tentationibus.*

Ratio I. Quia inde apparet iſtiuſmodi certamina non eſſe aliena à fide & pietate.

II. Quia inde nubem habemus teſtium victoriæ tandem per fidem comparandæ.

Uſus Directionis, ut iſtiuſmodi meditationibus animos noſtros magis magiſque ſtabiliamus.

Docum. VII. *Quæ vel nobis vel aliis optamus ad ſalutem, illa omnia ſunt à Deo petenda.*

Colligitur ex verſ. 10. cum anteced. Nam omnia quæ Apoſtolus antea poſtulaverat à fidelibus, jam in fine Epiſtolæ eorum nomine petit à Deo, & petit cum diſcretione, ut apparet ex illa particula: *cæterum*, vel *ſed &c*: ac ſi dixiſſet, quamvis hæc omnia quæ propoſui vobis, admonendo, exhortando, & conſolando ſint officia quæ vobis neceſſario incumbunt, veſtris tamen viribus non eſt expectandum, ut perficiatis: Deum igitur invoco, quod & à vobis perpetuo fieri debet, ut gratia ſua vos magis

magis magisque augeat, qua accipiatis hæc omnia & velle, atque etiam facere.

Ratio I. Quia ex nobismetipsis nihil possumus boni.

II. Quia variis tentationibus, iisque per infirmitatē nostram validissimis in istiusmodi studiis & propositis, impugnamur & impedimur.

III. Quia omnis vita spiritualis à Deo provenit, & ab ipso peti debet.

Usus Admonitionis, ne in bonis propositis & intentionibus acquiescamus, sed gratiam à Deo perpetuo quæramus ad eadem feliciter perficienda.

Usus II. Directionis, ut istiusmodi precibus lectionem, auditionem, & meditationem Verbi divini, quasi irrigemus, ut possit esse frugifera.

Observat. Istiusmodi Apostolorum conclusionibns, in quibus doctrinā suam precibus obsignant, monentur inprimis ministri, ut post conciones habitas petant à Deo gratiam tam sibi quam populo ad illa eadem observanda, quæ in illā concione didicerunt: monentur itidem alii, ut & idem publice cum ministro, & privatim per semetipsos sedulo quærant.

Docum. VIII. *Opus est nobis multiplici gratia.*

Sicut variis vocibus in textu explicatur: *perficiat, stabiliat, roboret, & fundet*, quæ possunt ita distingui, ut *perficere* sit addere gradus illos gratiæ, qui adhuc desunt: *stabilire* sit à tentationibus & periculis protegere & tueri: *roborare* sit internam virtutem & firmitatem addere: & *fundare* sit radicem ipsam gratiæ magis magisque infigere.

Ratio I. Quia omnia illa bona quæ habemus, habemus tantum ex parte.

II. Quia tentationibus perpetuis impugnamur, & ad deficiendum sumus supra modum proclives.

III. Quia magna & multiplex est illa perfectio ad quam vocamur.

Usus Admonitionis, ne in principiis subsistamus, sed multis precibus, multam à Deo gratiam petamus.

Docum. IX. *Deus est fons & autor omnis gratiæ.*

Hic enim titulus tribuitur Deo hoc in loco, quia maxime congruit petitioni multiplicis gratiæ. Nam sancti viri inter precandum illud apprehendunt in Deo, & illos Dei titulos sibimet proponunt, qui maxime faciunt ad preces illas quas habent.

Ratio I. Quia Deus in sese infinitas habet gratiæ divitias.

II. Quia gratia non nisi ex gratia communicatur, ut ex nullo merito nostro.

III. Quia omnis gradus & omne genus gratiæ revelatur, & exhibetur nobis à Deo in Evangelio.

Usus I. Directionis, ut ædificemus nosmetipsos in ista fide gratiæ divinæ.

II. *Admonitionis*, ne ita in illa gratia quam accepimus acquiescamus, quasi nihil esset quærendum ultra, quia Deus est Deus non partialis hujus aut illius, sed omnis gratiæ.

Docum. X. *Primarium effectum hujus gratiæ, quod in nobis existit, est vocatio nostra.*

Ratio I. Quia ante vocationem in peccato & morte spirituali jacemus.

II. Quia per vocationem ad spem

æternæ gloriæ pervenimus, *vocavit vos ad æternam suam gloriam*, sicut est in textu.

III. Quia in vocatione inserimur Jesu Christo, ut per ipsum ad istam gloriam perducamur, *vocavit vos ad æternam gloriam in Jesu Christo*, ut est in textu.

Usus I. Admonitionis, ut vocationem nostram efficacem magis magisque certam reddere studeamus.

II. *Exhortationis*, ut de isthac vocatione omnem gratitudinem Deo præstemus, & eidem vitam congruentem agamus, quæ congruentia spectari videtur in textu, ut scilicet per æternam istam gloriam, ad quam vocamur, omnia mundana, sive mala sive bona, ex occasione contemnamus.

Docum. XI. *Afflictiones hujus vitæ non repugnant hujus gloriæ consolationi.*

Ratio I. Quia paulisper tantum affligimur: quamvis enim afflictionis tempus videri possit longum, est tamen breve, si comparetur vel cum æterna morte, quam impii patiuntur, & nos meriti sumus: vel cum æterna gloria ad quam vocamur.

II. Quia istæ afflictiones sunt via, quia ex voluntate Dei tenditur ad gloriam.

III. Quia gloria ipsa magis apparet glorioſa propter afflictiones antecedentes.

Usus Consolationis, adversus omnes afflictiones hujus vitæ.

Docum. XII. *Propter istam gratiam Dei omnem gloriam Deo tribuere debemus.*

Colligitur ex vers. 11.

Ratio I. Quia in eo consistit nostra gratitudo.

II. Quia in eo etiam sita est perfectio operis gratiæ.

Usus Admonitionis, ne locum demus tepiditati, sed ita circa gratiam Dei salutiferam afficiamur, ut ad omnem ejus mentionem excitentur animi nostri ad Dei nomen sincere glorificandum, & sic perpetuo facere contendant. &c.

Finis priorꝭ Epistolæ.

GUILIELMI AMESII

EXPLICATIO ANALYTICA IN D. PETRI APOSTOLI Posteriorem Epistolam Catholicam.

CAPUT I.

Versus 1. *Simeon Petrus servus & Apostolus Jesu Christi, æque pretiosam fidem nobiscum sortitis per Justitiam Dei nostri & servatoris Jesu Christi.*
2. *Gratia vobis & pax multiplicetur in agnitione Dei, & Jesu Domini nostri.*

ANALYSIS.

SOlent distribui istiusmodi scripta tam Ethnica seu profana, quã sacra in tria membra, quorum 1. est superscriptio, salutatio & præfatio. 2. Ipsa epistola. 3. Subscripsio vel conclusio. Sed magis accurate statuendũ videtur præfationem & conclusionem esse tantum adjecta epistolæ, quæ pendent ab ipsa epistola & etiam ipsi inserviunt. In hac vero epistola alterum tantum horum adjunctorum adhibetur, nempe præfatio. Subscriptio enim nulla habetur aut conclusio talis, qualis in epistolis Pauli, & etiam in priori Petri adhibetur. Præfatio autem continetur quatuor versiculis duabus constans ex partibus, Salutatione & salutationis Confirmatione: illa duobus primis; hæc tertio & quarto versu. In salutatione tria illa exprimuntur quæ in omni actione occurrunt, nempe causa agens, actio ipsa, objectũ circa quod. Sic enim isthic habetur persona salutans, personæ salutatæ, salutatio ipsa. Persona salutans describitur 1. ab adjuncto nomine, 2. ab adjuncto officio, & generali, quod sit servus Jesu Christi; & speciali, quod sit Apostolus ejus. Personæ salutatæ describũtur à singulari quodã adjuncto, quod habet rationẽ & vim formæ, nempe à fide: quæ fides illustratur 1. comparatione paritum, quod sit æque pretiosa atque fides Apostolorum. 2. à causa efficiente principali Deo, & Jesu Christo. 3. à modo istius causæ, scilicet justitia. Salutationis confirmatio continet, 1. bonum optatum, quod duabus partibus constat: gratia, & pace. 2. gradum & qualitatem hujus boni, *multiplicetur*. 3. Causam adjuvantem hujus multiplicationis boni, quæ est agnitio Dei & Jesu Christi. Hæc analysis. Quod attinet ad personam,

duplicem habet respectum. Etenim hic consideratur ut autor epistolæ, & etiam ut autor salutationis; prioris respectu suppeditantur nobis documenta hæc.

Documenta.

Docum. I. *Nomina ipsa discipulorum Christi insignium, multum olim valuerunt ad veritatem firmandam, & in Ecclesia promovendam.*

Illo enim fine proponere solent Apostoli sua nomina in epistolis, quas ad Ecclesias scribunt:

Usus I. Adhortationis: ut eo usque nos etiam contendamus pro nostro modulo apud illos inter quos vivimus, ut nomina nostra sint instar pretiosi unguenti, & aliquid conferant ad ædificationem aliorum hominum.

II. *Redargutionis*, eorum qui ita sese gerunt ut sint pietati & Ecclesiæ opprobrio. Secundo respectu hanc observationem præbet persona:

Docum. II. *Salutatio Apostolica & ministrorum Dei est magni facienda.*

Ratio. Quia non est tantum precatio pia & bona, ut sunt omnium fidelium salutationes, sed etiam est ministerialis applicatio bonorum quæ Deus per ipsos nobis communicat. Non enim provenit tantum ex effectu pio, sed etiam ex munere & officio singulari.

Usus Admonitionis, Ne neglectui aut contemptui habeamus ejusmodi benedictiones, sive sint publicæ sive privatæ.

Docum. III. *Honorificus titulus est, si quis jure merito appelletur servus Dei aut Christi.*

Ratio. Quia primarii viri in Ecclesia Dei semper isthoc titulo gavisi sunt, non Apostoli solum & prophetæ, sed & reges & principes, ut videmus in Davide.

Usus Consolationis, erga pauperes Christianos qui nullos titulos habent de quibus possint gloriari. Si enim sint servi Dei & Christi, non est quod invideant aliis, aut de suo proprio statu conquerantur. Ut autem dignosci possint quinam sint servi Dei, sciant esse duo quasi essentialia servi. 1. ut pendeat ex arbitrio domini sui, pro directione in opere: 2. Ut totum illud quod habet, referat etiam in usum & fructum Domini, non in proprium. Sic etiam omnis fidelis servus Dei, 1. à Deo totus pendet pro directione suæ vitæ non à seipso & suo consilio, neque ab exemplis & consuetudinibus mundi, multo minus à suggestionibus carnis ac diaboli: 2. refert se & sua omnia ad gloriam Dei promovendam & illustrandam.

Docum. IV. *Illi Christi servi qui Apostoli dicuntur primariam autoritatem habent in Ecclesia Dei.*

Illa enim ratio est, cur Petrus Apostolum se dicat esse Jesu Christi. Omnes fideles sunt Christi servi sed non sunt apostoli: ministri ipsi ordinarii quamvis generali sensu dici possint apostoli ac legati Christi, non eo tamen sensu quo Petrus, Paulus, & similes vocantur. Vox enim Apostoli hoc & similibus locis non legationem tantum designat, sed singulare quoddam privilegium aut prærogativam in ista legatione. Privilegium autem Apostolorum supra cæteros ministros in 4. istis consistit. 1. In modo legationis quod scilicet nec ab hominibus, nec per homines fuerunt vocati, sed immediate

mediate à Christo. 2. In officio ipsis impositio vi hujus legationis, quod scilicet præcipue plantati fuerunt ad Ecclesias plantandas, ad eas pascendas aut ædificandas. 3. In objecto circa quod eorum opera debet versari, quod scilicet legati fuerint non ad unam aliquam Ecclesiam, sed ad varias, & mundi totius conversationem. 4. In donis & assistentia Spiritus, qui hanc eorum legationem semper comitabatur, quia scilicet in executione hujus muneris, tam in concionando, quam in scribendo immunes reddebantur ab omni errore. Quemadmodum in creatione mundi Deus procreavit lucem & postea luminaria quædam in expanso Cœli ad ferendam lucem super terram; Sic etiam in recreatione & restitutione mundi Deus, 1. exhibuit lucem in ipso Christo, qui fuit sol justitiæ ut vocatur in Scripturis, & postea Apostolos constituit tanquam magna luminaria, quæ adferunt lucem istam super terram. Hoc est quod dicitur ipsis à Salvatore: *Vos estis lux mundi.*

Usus I. Exhortationis, ad gratitudinem erga Deum, quod non reliquit nos in tenebris ut vagaremur incerti, sed accendit nobis istiusmodi lumina fulgentia, quorum opera possemus ad Cœlum dirigi.

II. *Exhortationis*, ad observantiam etiam & fidem eorum quæ nobis præscripserunt. Eadem enim ratione recipere debemus Apostolorum scripta, qua Christum ipsum reciperemus, si nobis in terris adesset.

III. *Refutationis*, adversus Pontificem Romanum, qui sese jactat Apostolum & autoritate Apostolica pollere, unde etiam suam sedem Romanam apostolicam appellat, cum tamen ne unam quidem habet earum conditionum quæ ad Apostolum constituendum necessario requiruntur. Hac de persona salutante. Sequitur de personis salutatis, ubi documenta sunt hæc.

Docum. I. *Apostoli scripserunt non ad infideles proprie, sed ad Ecclesiam vel ad homines.*

Sic enim hic & ubique describuntur illi ad quos epistolæ mittuntur.

Ratio. Quia prædicatio Evangelii, non scriptio, est efficax medium conversionis. Scriptio autem & lectio magis confirmationi proprie, & ædificationi conversorum inservit, quam primæ conversioni.

Usus Exhortationis, I. Ut omnes imprimis attendere velint ad concionem. 2. Qui aliquem fructum perceperunt ex concionibus, velint etiam diligenter attendere ad lectionem Scripturæ, ut semetipsos possint magis magisque confirmare & ædificare.

Docum. II. *Fides est propria Ecclesiæ differentia, qua distinguitur à cæteris omnibus societatibus.*

Idcirco enim describuntur hic Christiani per fidem, ut possint distingui à cæteris omnibus hominibus: & iidem qui in aliis epistolis appellari solent electi, vocati, Ecclesiæ Dei, illi qui sunt in Deo Patre, & in Jesu Christo, simpliciter hoc loco dicuntur fideles.

Usus Admonitionis, Ut si velimus vocationem, & salutis conditionem certam habere, tum fidem veram maxime acquirere atque etiam augere studeamus.

Docum. III. *Fides Christianorum est maxime pretiosa professio.*

Idcirco hic appellatur *pretiosa fides*, & prioris Epistolæ cap. 1. vers. 7. *Fides*

7. *Fides auro, quod perit, pretiosior.* esse dicitur.

Usus I. Exhortationis, Ut pluris faciamus fidem quam omnia mundana, juxta illud Christi: quid proderit homini, si totum mundum lucretur, & animam suam vel fidem perdat?

Usus II. Consolationis erga paupers Christianos, qui nullas possessiones habent in hoc mundo. Si enim veram fidem habeant, habent quod superat argentum & aurum.

Docum. IV. *Fides vulgarium Christianorum est æque pretiosa atque fuit fides Apostolorum.*

Quod non est intelligendum de gradu vel quantitate, sed de natura vel qualitate.

Ratio. Quoniam idem bonum apprehendit fides omnium Christianorum, nempe Christum & beneficia Christi. Hinc à Paulo dicitur communis fides: sicut enim qui pretiosum aliquid accipit vel apprehendit manu paralytica aut vacillante, æque illud possidet atque alius, qui firmis utitur nervis; sic fideles quamvis sint infirmi, si vere Christum apprehendunt, æque eum servatorem suum habent, ac illi qui sunt firmissimi.

Usus Consolationis, erga infirmos Christianos. Si enim veram fidem habeant, quamvis sit instar grani sinapis, eandem habent consolationem, quam ipsi Apostoli habuerunt. Si vere pendeant à Christo, quamvis tenui quasi filo, æque tamen Christum possident, atque illi qui densissimis ipsi funibus quasi conjunguntur, quod non ita tamen accipi debet, quasi firmior fides non esset quæ valida, quamvis enim idem bonum possident infirmi cum firmis, non tamen eundem & fructum hujus possessionis habent.

Docum. V. *Prætiosæ hujus fidei caussa non est in homine quoquam, sed in justitia Dei, & Christi.*

Per justitiam autem non est intelligenda severitas vindictæ, aut compensatio aliqua meriti; sed fidelitas & veritas promissionum quæ mera Dei bonitate nitebantur. Promissiones autem illæ factæ fuerunt Abrahamo ipsi, ut semen haberet instar syderum Cœli & arenæ maris, ex omnibus gentibus, & postea sæpius repetitæ fuerunt per Prophetas.

Usus I. Refutationis adversus illos qui libero hominis arbitrio faciunt, ut primo vocationem fidelium in incerto relinquant, quasi promissiones Dei reddi possent irritæ, & deinde gloriam ipsam hominum conversionis Deo auferunt & homini tribuunt.

II. *Exhortationis*, ad gratiarum actionem erga Deum, de isthoc tam incomparabili bono.

Documenta. Vers. 2.

Docum. I. *Omnia spiritualia bona continentur istis duabus partibus, gratia & pace.*

Per *gratiam* enim intelligitur & gratuitus Dei favor, & etiam applicatio, & manifestatio in cordibus fidelium per operationem Spiritus Sancti in verbo & Sacramentis. Per *pacem* autem intelligitur animi tranquillitas & status, qui fructus est gratiæ. Gratia igitur est primum beneficium, & pax est ultimum. Id circo omnia media vel intercedentia beneficia intercluduntur tanquam duobus extremis. Hinc in omnibus fere epistolis votum & salutatio apostolis

ſtolica iſtis duobus continetur. ad Tim. & Titum adjicitur etiam *gratia, miſericordia, & pax.* Illa eſt applicatio tantum ejuſdem rei quæ per gratiam deſignatur & peculiari ratione additur illis epiſtolis, quia Timotheus & Titus ſingulari quadam gratia indigebant ratione miniſterii quod obibant in Eccleſiis, ratione ætatis, & ratione variarum tentationum, quibus in illo miniſterio fuerunt obnoxii. Hinc in V. Teſtamento pax tantum ſolebat optari in ſalutationibus, ſine ulla mentione gratiæ; ſed gratia tamen etiam tum temporis intelligebatur: In tempore autem N. Teſtamenti, quod eſt tempus gratiæ, & in quo omnia explicatius traduntur, maxime conſentaneum fuit, ut gratia nominetur in iſtiuſmodi ſalutationibus.

Uſus Adhort. & Directionis, imprimis optemus gratiam & pacem Chriſtianam omnibus quibus bene cupimus.

Docum. II. *Fidelium deſideria maxime feruntur in illa bona ſpiritualia, gratiam & pacem.*

Ratio Collectionis hæc eſt, quia Apoſtolus in iſto quaſi exordio epiſtolæ conciliare ſibi ſtudet benevolentiam eorum ad quos ſcribit, declarando votum quod in ipſorum gratiam conceperat: non potuit hoc efficere niſi votum ipſius eſſet ſecundum eorum votum. Si enim aliquid ex his optaret quod ipſi nihil curarent, iſtiuſmodi votum nihil apud ipſos proficeret.

Uſus Exhortationis. Ut examen inſtituamus omnes noſtrum ipſorum juxta iſtam regulam. Si enim media & inſtrumenta gratiæ nihili faciamus, ſi rejiciamus vel contemnamus eos qui gratiam iſtam & pacem procurare nobis maxime ſtudent, eſt cur metuamus ne adhuc alieni ſimus à natura & ingenio verorum fidelium.

Docum. III. *Qui maximum progreſſum fecerunt in fide & gratia, illi tamen adhuc opus habent gratia.*

Hoc inde colligitur quod Apoſtolus gratiam exoptat iis, qui fide a ſortiti fuerant æque pretioſam cu n ipſis Apoſtolis.

Uſus I. Refutationis, adverſus errorem Pontificiorum de meritis.

II. *Exhortationis*, ad humilitatem, & aſſiduam petitionem gratiæ divinæ.

Docum. IV. *Sine gratia nulla datur vera pax.*

Gratia eſt cauſa & fundamentum pacis; pax effectum, & fructus gratiæ; eſt hæreditas quam Chriſtus ſuis ſolis diſcipulis reliquit, Joh. 14. 27. Eſa. 48. ult. Pax enim iſta non eſt externa, & mundana pax, ſed ſpiritualis & interna. Antequam gratiæ participes ſimus, dicimur in Scripturis *inimici Dei*, adeo ut bellum aliquod geramus cum Deo ipſo, & propterea etiam cum angelis Dei & cæteris ejus creaturis. Per gratiam autem & per illam ſolam pax conſtituitur.

Uſus Refut. & Increpationis, ſtultitiæ eorum hominum, qui ſibimet adeo placent in externa illa tranquillitate, qua fruuntur, cum interim gratiæ divinæ expertes ſint & plane ignari.

Docum. V. *Non gratia tantum & pax ſunt nobis quærendæ, ſed etiam earum abundantia maxima.*

Colligitur ex eo verbo, *gratia & pax multiplicetur.* Sunt enim illius gratiæ bona quæ non poſſunt eſſe nimia. Nunquam hic peccatur in ex-

ceſſu: hinc eſt quod Apoſtolus Paulus hortatur ſemper fideles, & precatur etiam fideles, ut poſſint in omni gratia magis magiſque abundare. Et Epheſiis proponit latitudinẽ, longitudinem, profunditatem & ſublimitatem hujus gratiæ, ut in illa ſint radicati & fundati, Cap. 3. verſ. 18.

Vſus I. Refutationis & Condemnationis, adverſus eos qui adeo acquieſcunt in gratia præſenti quam habent, aut videntur ſibi habere, ut nihil ultra quærant. Tales illi homines videntur eſſe qui putant ſe ſatis ſcire, ſatis credere, ſatis diligere, &c. Atq; adeo negligunt tam publica quã privata media, quibus poſſint ulterius ædificari. Status Chriſtiani in hac vita eſt ædificationis non perfectionis: ſicut ergo ſtultus eſſet ædificator, qui in medio ſui operis acquieſceret, et non perfectam ſtructuram adijceret, ſic etiam in vita Chriſtiana.

II. *Exhortat.* Ut excitemus nos ipſos & aſpiremus ad gratiam & pacem magis abundantem.

Argumentum I. Peti poteſt à natura gratiæ & pacis, quæ talis eſt, ut qui ſemel guſtaverit ejus ſuavitatem, non poſſit non expetere quaſi pleniorem illius hauſtum. 1. Petr. 2. 2. 3. *Expetite ſyncerum lac* &c.

Argumentum II. Ab imperfecto illo gradu, quem adhuc ſumus aſſecuti. Sumus maxima ex parte quaſi infantes modo geniti, ut loquitur Apoſtolus ibidem.

Argumentum III. A Dei voluntate, cui nihil eſt gratius quam ut copioſam ipſius gratiam quæramus. Eſa. 55. 2. Prov. 9.

Argumentum IV. A peccato vel reatu qui ſequitur illius officii negle-ctum. Sicut enim inter homines, ſi quis pretioſiſſimas merces nobis proponeret, laudaret, & gratis etiam offerret, non poſſit non ægre ferre ſi rejicerentur: ſic & multo magis cogitandum nobis eſt, iram Dei erga illos accendi, qui divitias ipſius gratiæ propoſitas, explicatas, laudatas, ſibi negligunt, ſibi contemnunt.

Docum. VI. *Deus unicus auctor gratiæ ac pacis.*

Colligitur ex 1. Petr. 5. 10,

Appellatur Deus omnis gratiæ autor. Hinc per appropriationem quandam appellatur Deus gratiæ, quemadmodum. 2. Petr. 1. 3. dicitur Pater miſerationum, & Deus omnium conſolationum, & gratia etiam hac ſignificatione appellatur gratia Dei; ſic etiam de pace reperimus in Scripturis, quod Deus appellatur *Deus pacis*, & vera pax dicitur, ubique pax Dei.

Vſus I. Refutationis, adverſus Pontificios omnes qui & verbis & praxi contrarium plane præ ſe ferunt. Beatam enim virginem appellare ſolent *matrem gratiæ*: ſic etiam confugiunt ad ipſam, & alios ſanctos, quaſi illi autores eſſent gratiæ & pacis.

II. *Inſtitut. & confirmationis*, in iſthac veritate, quod gratiæ & pacis diſpenſatio pendet ex mera voluntate & arbitrio Dei. Cum enim Deus dicitur Deus gratiæ, intelligitur etiam Dominus gratiæ, qui poſſit eam pro ſuo arbitrio quibus velit tribuere, quibuſque velit negare. Hoc colligitur ex 1. Theſſ. 5. 16. & 2. Theſſ. 3. 16. qui enim in priore loco dicitur *Deus pacis*, in poſteriori dicitur *Dominus pacis*. Cum ergo videmus gratiã & pacem illã quibuſdam conceſſam, & aliis denegatam, acquieſcere debemus in bona voluntate Dei, exemplo Chriſti, Matth. 10. 25. Sic etiam faciendo gloriam tribuimus

Deo

Deo, ut ex hoc loco patet.

Usus III. Adhortationis, ut cum gratia aut pace indui à Deo ſummo quæramus.

Docum. VII. *Jeſus Chriſtus eſt principium omnis gratiæ & pacis.*

Deus eſt primus & principalis autor, atque ſic etiam Chriſtus prout eſt Deus: ſed prout eſt Deus & homo mediator, ſic eſt principium à Deo conſtitutum, quaſi caput à quo omnis gratia derivanda eſt in ejus membra, tanquam in vaſa gratiæ, ita ut Deus ſit quaſi primus & principalis fons, Chriſtus fons quaſi ſecundarius, in quo reconditur omnis gratia fidelibus communicanda: ut fideles ipſi ſint vaſa haurientia & recipientia gratiam, ſibi ex illis fontibus communicatam; Verbum & Sacramenta ſint quaſi canales.

Usus Informationis, in modo quo gratia debet à nobis quæri, quod ſcilicet ſemper debemus adire Deum in Chriſto, quoniam extra Chriſtum peccatoribus non eſt Deus gratiæ & pacis, ſed vindictæ, & ignis conſumens.

Docum. VIII. *Fides vera eſt inſtrumentalis cauſa gratiæ & pacis, & multiplicationis utrinque qua ad nos derivatur.*

Ratio. Quia per agnitionem hoc in loco intelligitur fides. Non enim intelligitur ſimplex cognitio, ſed aliquid amplius quod ſequitur iſtam cognitionem, idcirco non dicitur γνῶσις, ſed ἐπίγνωσις, id eſt cognitio. 2. Intelligitur agnitio efficax, qualis nulla alia docetur in Scripturis præter fidem. Fides autem agnitionis nomine deſignatur, quia per auditum & cognitionem verbi ſolet ingeneari. Fides autem dicitur inſtrumentum gratiæ, non qua eſt in ipſo Deo, volens, intendens, & ordinans nos ſpiritualia bona, ſic enim gratia eſt cauſa fidei; ſed qua ſenſus, fructus, & perceptio hujus gratiæ nobis communicatur. Fides enim ita eſt fructus & effectum gratiæ ut primum locum obtineat, & ſit inſtrumentalis cauſa omnis gratiæ ſequentis. Hanc autem efficaciam habet ratione objecti quod apprehendit, *Jeſu Chriſti*, quia ut antea dictum fuit, eſt principium omnis gratiæ, ita ut ſicut Adamus fuit principium naturæ & corruptionis ejus, & relatio illa quam nos per generationem naturalem habemus ab Adamo facit nos participes & naturæ & corruptionis illius: ſic Chriſtus conſtitutus eſt principium vitæ ſpiritualis & gratiæ, & relatio illa fidei quam habemus ad Chriſtum in regeneratione prima, participes nos facit & vitæ & gratiæ illius quæ eſt in Chriſto.

Usus Adhortationis, I. Ut maximam curam habeamus noſtræ fidei, ſi nolimus omni gratia & pace Dei deſtitui. Hoc eſt quod alibi dicit Apoſtolus *ſupra omnia aſſumite ſcutum fidei*, id eſt, ſupra omnia comparate vobis fidem. Epheſ. 6. 16. Hoc eſt quod ſæpe inculcatur, per fidem ſalvamur, per fidem ſtamus, per fidem victoriam conſequimur &c. 2. Ut curemus etiam augmentum fidei, ſi cupiamus augmentum gratiæ & pacis. Multiplicatur enim gratia per multiplicationem fidei, & agnitionis Dei, ſicut in domo, quæ à ſole illuſtratur, quo magis feneſtræ patent, eo magis luce completur: Sic etiam in nobis, quo magis augetur fides, eo magis augemur gratia & pace. Sit igitur quotidiana noſtra petitio, quæ fuit diſcipulorum Chriſti: *Domine, adauge nobis fidem.*

Verſus

Vers. 3.

Prout divina vis ipsius omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem.

ANALYSIS.

SCopus Apostoli in hoc versu est confirmare fidem Christianorum, circa multiplicationem gratiæ & pacis in agnitione Dei, quam optaverat ipsis priore versu. Argumentum autem petitur à comparatione parium, sicut indicat illa particula, *prout*. Res inter se comparatæ sunt: 1. Donatio pacis & gratiæ, & 2. Earundem consequens, multiplicatio: Harum autem parem & eandem rationem esse contendit, respectu causæ, tam principalis, quam minus principalis vel instrumentalis, ita ut argumentatio integra sit ejusmodi: *Si Deus & Dominus noster Jesu Christi donabit nobis gratiam & pacē per agnitionem ipsius, tum eadem dona per eundem quoque nobis multiplicabit: Sed verum prius: Ergo.* Assumptio continetur v. 3. Non autem nude proponitur, sed cum illustratione, quamvis quædam addit ad rationem ipsam, & fidem nostram confirmandam. Nam loco gratiæ ac pacis ponit hic Apostolus necessaria ad *vitam & pietatem*: & in secundo loco *gloriam ac virtutem*, uti per *vitam ac gloriam* idem intelligit, quod antea per *pacem*, quamvis sub alia & alia ratione; Sic etiam per *pietatem & virtutem* idem designat, quod antea per *gratiam* principalem causam hujus donationis explicat à virtute illa qua pollet, quam appellat *divinam*: instrumentum explicat ab objecto circa quod versatur, nempe Christo: Nam arguit ab effecto quodam singulari, quod maxime pertinet ad rem ipsam, nempe ad vocationem nostram, gloriam ac virtutem.

Documenta.

Docum. I. *Vita & gloria continentur in pace Christiana.*

Status enim cujus Christiani participes per pacem sunt, dicitur *vita* propter internum illud, & permanens principium perfectissimarum operationum, in quibus felicitas hominum consistit, quam fideles omnes habeant sibi communicatam. Dicitur autem gloria respectu completæ illius felicitatis, quæ ex illo principio promanat, & suo etiam tempore cum externo splendore apparebit.

Usus I. Informat. & Institutionis, ut nihil abjecte & humiliter cogitemus de conditione fidelium & Christianorum, sed rectum judicium feramus secundum naturam rei, quod scil. unica vita, & summa gloria sit ipsorum propria.

II. *Exhortationis*, ut fidei, gratiæ, & paci Christianæ postponamus omnia mundana, etiam vitam ipsam præsentem & gloriam ejus, quoniam vitam & gloriam multo perfectiorem per fidem nostram consequemur, secundum illud Christi: *qui vitam suam perdit, ille invenit ac lucratur vitam multo potiorem.*

Docum. II. *Gratia Christiana infert*

infert ſecum pietatem & virtutem.

Eadem enim res dicitur gratia, quæ eſt effectum divini favoris; dicitur pietas, qua Deum habet objectum; dicitur virtus, quâ hominem perficit in operatione.

Uſus I. Inſtitutionis. ut de gratia Dei non gloriemur, niſi ex pietate & virtute eandem oſtendamus.

II. *Increpat. & damnationis* eorum, qui vel præſumptione vel ficta ſimulatione, vel gratiam ſejungunt à pietate, vel gratiam ſeparant à virtute, aut virtutem ab alterutra.

Docum. III. *Omnia neceſſaria ad vitam & pietatem donantur fidelibus à Deo.*

Ad donum autem perfectum tria requiruntur: 1. Ut donum quod datur fiat accipientis, vel ejus cui dicitur dari, aliàs enim non eſt donum, vel res data actu, ſed patientia tantum. 2. Ut fiat ejus abſolute vel irrevocabiliter, non conditionaliter, ut ipſa donatio pendeat ex conditione. 3. Ut donator nulla alia cauſa moveatur ad donandum, quam ut oſtendat & exerceat ſuam propriam munificentiam & benignitatem: quo perfectius & purius reperiuntur iſtæ conditiones in aliquo dono, eo perfectius eſt donum & purius. Hæc autem omnia accuratiſſima ratione congruunt donis illis Dei, quæ pertinent ad vitam & pietatem: e. g. Chriſtus dicitur datus pro nobis, & datus etiam nobis. Spiritus Sanctus habet illud nomen, quaſi ſibi appropriatum, quod ſit donum Dei. Fides & reſipiſcentia expreſſe dicuntur donum Dei.

Uſus I. Inſtitutionis, adverſus errorem eorum, qui nolunt iſtiuſmodi bona dono accipere, ſed docent eſſe meritis noſtris quærenda; ſicut enim Apoſtolus dicit, ſi ex gratia, tum non ex operibus, nam alioquin gratia non eſſet gratia: ſic licet etiam diſputare, ſi ex dono, tum non ex operibus, nam aliter donum non eſſet donum.

II. *Admonitionis*, ut per totam vitam quæramus iſtiuſmodi bona prout eorum naturæ congruit, id eſt, petendum, ſupplicandum &c. & ſecundo in loco, ut omni conatu ſtudeamus nos gratos præſtare Deo, de tam divinis donis.

Docum. IV. *Communicat nobis ſpiritualia hæc dona potentia quadam divina.*

Divina vis omnia nobis donavit, ut eſt in textu. Idem eſt quod dicitur in epiſtola 1. cap. 1. verſ. 5. *Virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem.* Docetur à Chriſto Matth. 19. 26 *Apud homines hoc impoſſibile eſt, ſed apud Deum omnia poſſibilia ſunt*: ubi expreſſe docemur, illa Dei potentia ſalutem, & ſpiritualia bona nobis communicari, cui omnia ſunt poſſibilia, id eſt, omnipotentia, Jer. 31. 15. *Sic ait Iehova, qui &c.*

Ratio. Quia iſtiuſmodi potentia ſit ad hoc effectum neceſſaria, & propter validiſſima illa impedimenta, quæ obſiſtunt & adverſantur huic operi. Sic enim Chriſtus teſtatur diabolum, ut virum fortem tenere aulam ſuam, uſque dum validior ſuperveniat, & vincat ipſum, & tollat totam ipſius armaturam, in qua confidebat, Lucæ 11. 21. Hoc optime etiam explicatur ab Apoſtolo, Epheſ. 4. 8. *Cum aſcendiſſet in ſublime captivam duxit captivitatem, & dona dedit hominibus.* ubi dona nobis communicari docet illa ipſa potentia, qua captivitas ducitur captiva. Epheſ. 1. 19. expreſſe dicitur, quod *ſuperemi-*

nens

nens sit magnitudo potentiæ Dei, quæ efficacitate roboris & vi ipsius operatur in nobis, & vers. 20. idem robur, quo excitatus fuit Christus à mortuis.

Usus I. Refutationis, adversus Remonstrantes aut ejusmodi homines, qui negant fidem nobis ingenerari, aut conversionem nostram fieri per omnipotentiam Dei. Stabiliunt enim gratiam tantum moraliter suadentem, resistibilem, impotentem, atque adeo inefficacem.

II. *Consolationis*, erga infirmos & omnes fideles, quoniam non est quod sibi nimis metuant à portis inferorum, quoniam portas cœli habent secum facientes; quamvis luctandum sit ipsis, non tantum adversus carnem, & sanguinẽ, sed adversus imperia, potestates mundi, &c. Eph. 6. 12. tamen vim divinam habent, & sublimiorem omnibus illis hostibus, quia in ista lucta sustentantur.

III. *Exhortationis*, 1. ut strenue nos geramus & præstemus nos viros in causa Dei, prout dignum est tam divina virtute, qualem ipse nobis suppeditare paratus est; 2. Ad gratias habendas Deo, qui non reliquit nos in infirmitatibus nostris propriis, ut quasi præda hostibus exponeremur, sed divina sua virtute nostras infirmitates adjuvat.

Docum. V. *Vis hæc divina est vis ipsius Christi.*

Usus I. Confirmationis fidei nostræ, de divina Christi natura. Nam divina vis à divina natura non separatur.

II. *Consolationis*, quod ille qui nos adeo dilexit, ut semetipsum dederit pro nobis, tam sufficientes vires habet ad salutem nostram perficiendam. Hoc argumento ipse utitur ad discipulos consolandos, Johan. 10. 28. 29. 30.

Docum. VI. *Christus nobis ista donat per divinam suam vim, cum efficaciter nos vocat per agnitionem illius qui vocat nos.*

Usus Adhortationis, ut attendamus cum omni studio & reverentia ad media nostræ vocationis, quia divina Christi efficacia in illis exeritur.

Docum. VII. *Consideratio finis ad quem vocamur in Christo, debet nos ædificare in fide spe, & omnibus illis, quæ pertinent ad vitam & pietatem.*

Idcirco non commemorat hic Apostolus, quod vocavit nos ad gloriam & virtutẽm; sic prioris epistolæ cap. 5. vers. 10. *qui vocavit nos ad æternam gloriam &c.* Idcirco Apostolus Eph. 1. 18. ardentissime precatur Ephesios, ut *illuminatos habeant oculos mentis ad sciendum, quæ sit spes illa vocationis Dei, & quæ opes &c.* Efficax est autem ista consideratio ob has rationes.

Ratio I. Quia est argumentum fidem nostram confirmans, dum ita cogitamus: Si Deus nos vocavit ad gloriam, tum non est dubitandum, quin suo tempore nos perducet ad gloriam, & interea temporis conservabit nos in via, quæ eo tendit.

II. Quia est argumentum quo excitamur ipsi ad omne studium virtutis, dum ita cogitamus: Si vocamur ad gloriam & virtutem, non debemus sordide & abjecte gerere nos in inquinamento carnis, tanquam porci in cœni volutabro, sed prout convenit istiusmodi vocationi.

Docum. VIII. *Hujus vocationis ac primæ donationis gratiæ, eadem est ratio cum omnis gratiæ ac pacis multiplicatione.*

Pariter enim sunt gratuitæ, pariter

ter pendent à divina virtute, sunt inter sese connexæ semper vel concatenatæ: sequitur ex connexione vers. tertii cum secundo.

Usus Consolationis prout explicatur Phil. 1. 6.

Vers. 4.

Ex eo quod maxima illa nobis ac preciosa promissa donavit, ut per hæc efficeremini divinæ consortes naturæ, elapsi ex corruptione quæ est in mundo per cupiditatem.

ANALYSIS.

CONfirmaverat ante Apostolus votum suum & spem fidelium, de gratiæ ac pacis multiplicatione à comparatione parium, id est, à donatione omnium, quæ sunt ad vitam & pietatem necessaria: jam confirmat & probat etiam illud, quod assumpserat de donatione necessariorum ad vitam & pietatem. Argumentum petitur à testimonio Dei, id est, à promissionibus divinis: nam promissio est testimonium de bono communicando. A promissionibus autem dum disputat Apostolus ad dona promissa, disputat à testimonio ad rem testatam, quam argumentandi rationem satis innuit ipse, cum promissionis loco promissa ponit. Promissa autem ita explicantur: 1. In genere à duobus adjunctis, quod sint *maxima & preciosa*, id est, neque de rebus levibus, ac parvi momenti, neque de rebus alienis, aut parum à nobis æstimandis, sed maximi ponderis, & maximi etiam pretii. 2. Explicantur in specie per effecta illa, quæ promissis illis continentur: hæc autem sunt duo: 1. Elevatio fidelium ad suam perfectionem, quæ per similitudinem explicatur divinæ naturæ. 2. Est liberatio à corruptione, quæ illustratur à suo subjecto, & causa. Subjectum est mundus; causa est cupiditas vel concupiscentia.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Promissiones divinæ habent in sese vim donationis.*

Ratio. Quia rem promissam certo pertinere faciunt ad illos quibus promittitur. Quamvis enim actu non sit adhuc in eorum possessione, est tamen illa potentia quæ certo producitur in actum. Causa est 1. Veracitas Dei promittentis: 2. Potentia ac vis illa divina, quæ promissiones Dei comitatur, cujus mentio facta est vers. priori.

Usus I. Refutationis adversus eos, qui promissiones Dei suspendunt plane ex arbitrio humano.

II. *Consolationis*, ut bono sint animo, & spe firma omnes fideles de bonis a Deo promissis.

Docum. II. *Promissiones divinæ sunt de rebus maximis,*

Hinc est quod Scriptura sæpe loquitur de mirabilibus Verbi divini, Psal. 119. 18. satis liquet ex rebus ipsis, si bene expendantur; sive spectemus divinas proprietates, quæ in promissis elucent; sive divina earum effecta. Est enim admirabilis plane misericordia, & potentia ac providentia illa, quibus hæc promissa nituntur; effecta etiam sunt admiranda, quorum multa sunt quæ adeo superant

captum

captum humanum, ut pleriſque videantur plane impoſſibilia & incredibilia: ut reſurrectio, immortalitas, & vita futura.

Uſus I. Damnationis, in ſtupiditatem eorum qui nihil moventur aut afficiuntur iſtis rebus tam magnis aut admirandis.

II. *Exhortationis*, ut nos ſtudeamus & precibus cum Davide contendamus, ut oculos magis magiſque retectos habeamus, quibus admirandam hanc rerum naturam proſpicere valeamus.

Docum. III. *Promiſſa divina ſunt æque prætioſa nobis, atque ſunt in ſeſe magna.*

Sic diſtinguuntur: ſi enim Deus promiſiſſet ſe mundum alterum conditurum, ita tamen, ut nihil ad nos pertineret, fuiſſet hoc maximum promiſſum, ſed nobis minime prætioſum; ſed cum mundum futurum, in quo immortalitas & ſumma gloria habitabit, ita promiſit, ut à nobis ſit poſſidendus, promiſſum iſtud æque eſt prætioſum atque eſt magnum. Hinc eſt quod in Scripturis efferuntur Dei teſtimonia, quorum promiſſa ſint permaxima ſupra opes, Pſal. 119. 24. Supra aurum & argentum, & omnes res prætioſas, ut ſæpius eſt legere in Pſalmis & in Proverbiis.

Uſus I. Exhortationis, ut judicio, affectu & conatu omni congruenter nos geramus erga divina iſta promiſſa, tanquam erga res maxime prætioſas, id eſt, ut monemur, Prov. 2. 4. *Quæramus illa velut argentum, & tanquam abditos theſauros ſcrutemur illa.* Et Proverb. 8. 10. *Accipiamus iſtiuſmodi ac non pecuniam &c.* Et ut magis delectemur iſtis quam ſuaviſſimis doctibus, Pſalm. 119. 113. ut comparemus nobis iſta promiſſa quantovis pretio, etſi vendenda ſint nobis omnia quæ habemus, ſicut eſt in parabola de mercatore, qui invenit gemmam prætioſam.

II. *Conſolationis* erga Chriſtianos illos, qui pauperes ſunt ſpiritu, & etiam in hoc mundo præſenti, quamvis enim nihil habeant eximium in iſtis externis, tamen habent iſta maxima & prætioſiſſima à Deo ſibi parata. Similes in hoc ſunt hæredis illius cujus Paulus meminit, Galat. 4. 1.

Docum. IV. *Per efficaciam horum promiſſorum participes reddimur naturæ divinæ.*

Per naturam autem non intelligitur eſſentia Dei, ſed perfectiones illæ quarũ imago & repræſentatio quædã nobis per Spiritum repræſentatur Epiſt. 1. cap. 2. 9. Appellantur virtutes Dei, alibi vita Dei, imago Dei, & Spiritus Dei appellatur. Communicatur autem iſta natura per efficaciam promiſſorũ, quia promiſſio Evangelii in iſthoc differt à lege. Nam lex in ſeſe conſiderata eſt littera occidens, & miniſterium mortis reſpectu peccatorum, Evangelium autem miniſterium Spiritus vivificantis, 2. Cor. 3. 6. 7 8.

Ratio. Quia Dei Spiritus una cum Evangelio ſalutem noſtram operatur.

Uſus I. Directionis, ad examen inſtituendum noſtri ipſorum, an adhuc efficaces fuerint in nobis promiſſiones Dei, nec ne: ſi enim nihil in nobis habeamus ſupra homines naturales, aut naturam noſtram corruptam, alieni ſumus adhuc à promiſſionibus Dei.

II. *Increpationis*, adverſus eos, qui cum ad officia Chriſtiana excitantur; cauſari ſolent ſe non eſſe Sanctos

ctos, aut Angelos, ſed carnem & ſanguinem, atque adeo non poſſe aut à vitiis vulgaribus abſtinere, aut ad vitam cœleſtem adſpirare. Chriſtiani nempe præter & ſupra naturam illam quam habent ab Adamo, conſortes etiam fiunt divinæ cujuſdam naturæ, qua omnia poſſunt per eum qui ipſos corroborat, nempe Chriſtum, Phil. 4. 16.

III. *Exhortationis*, ut eo omni diligentia connitamur, ut gratia Dei ſit nobis inſtar ſecundæ naturæ, ſicut de conſuetudine dicitur à quibuſdam. Sic autem erit cum opera gratiæ ac obedientiæ novæ, non quaſi cum coactione aut tædio præſtamus, ut multi ſolent, ſed cum delectatione ac promptitudine, quaſi ipſius naturæ inclinatione ad illa feramur, ut ignis ſurſum.

Docum. V. *Corruptio peccati opponitur, & naturæ & promiſſionibus divinis.*

Quia præſentia naturæ divinæ & efficacia promiſſionum expellit iſtam corruptionem, ut calor frigus, & lux tenebras diſpellit, 1. Petr. 1. verſ. 14. 15. 2. Petr. 2. 20. Tit. 2. 11. 12.

Uſus I. Condemnationis, adverſus illos, qui hæc adeo ἀσύστατα & repugnantia, diſtinctaque ab ipſo Deo volunt tamen conjungere, id eſt, qui religionis profeſſionem cum moribus corruptiſſimis connectunt.

II. *Exhortationis*, ſi promiſſiones Dei credamus & naturam ipſius diligamus ad noſtram ipſorum ſalutem, tum omnes corruptiones iſtas fugiamus. Hoc innuit Apoſtolus, cum dicit: *Elapſi ex corruptione*, quaſi fuga requireretur eaque citiſſima, quaſi ab incendio, quo fere conflagramus, aut à peſte in iſtis ædibus noſtris graſſante, 1. Petr. 2. 11. 2. Cor. 4. 1. *Miſericordiam conſecuti ſegnes non ſimus*, & cap. 7. 1.

Docum. VI. *Corruptio iſta peccati dominatur in mundo.*

Inde colligitur, quia hæc eſt vera deſcriptio corruptionis ab Apoſtolo, 1. Pet. 2. verſ. 16. & 5. verſ. 19.

Uſus Exhortationis, 1. ne diligamus mundum nimis: hunc uſum facit Apoſtol. Joh. 1. Epiſtolæ 2. 15. 2. Ne configuremus nos huic ſeculo, Rom. 12. verſ. 2.

Docum. VII. *Concupiſcentia eſt eſſentialis cauſa hujus corruptionis, quæ eſt in mundo.*

Non eſt enim à fabrica cœli & terræ, neque in ſubſtantia aliqua creata, ſed in pravis affectibus & diſpoſitionibus una cum actibus inde fluentibus, ita ut mundum iſtum geſtet quilibet in ſuis propriis viſceribus. Cur autem iſta pravitas per concupiſcentiam aut cupiditatem deſignatur.

Ratio I. Eſt, quia in converſione hominis ad res mundanas & illicitas, peccatum eſt magis manifeſtum, quam in ſimplici averſione à Deo.

II. Quia iſta cupiditas rerum illicitarum maxime opponitur affectui illi, quem debemus habere erga Deum, & res divinas ac cœleſtes.

Uſus Exhortationis, ut in concupiſcentiis noſtris propriis domandis ac eradicandis maximam diligentiam adhibeamus.

Vers. 1. 5. 6. & 7.

Ad hoc ipsum vero vos, *omni præterea collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti vero notitiam:*

Notitiæ vero continentiam, continentiæ vero tolerantiam, tolerantiæ pietatem; Pietati vero fraternum amorem, fraterno vero amori charitatem.

ANALYSIS.

ACcedit jam Apostolus ad illud quod habuit in hac Epistola præcipue propositum: Scopus autem vel propositum Epistolæ indicatur expresse, cap. 3. 1. nempe ut sinceram mentem fidelium, per submonitionem expergefaceret. & vers. ultimo, magis distincte, ut crescant in gratia & notitia Domini nostri Jesu Christi. Hoc idem proponit vers. istis 5. 6. 7. quod in reliquo capite confirmat, & in sequentibus duobus vendicat ab iis, quæ huic proposito adversantur, nempe falsorum doctorum seductionibus, cap. 2. & à profanorum irrisorum illusionibus, cap. 3. Propositum autem, prout explicatur istis tribus versibus, est exhortari fideles, ut in illa officia toto animo incumbant, quæ congruunt fidei, quam adepti sunt & profitentur. Illa vero officia explicantur: 1. Per communes conditiones, & proprietates omnes virtutis ac officii, & 2. Per species virtutum ac officiorum. Communes conditiones ac proprietates virtutis sunt quatuor, quæ solent appellari virtutes cardinales, *Justitia*, *Prudentia*, *Temperantia* & *Fortitudo*. Justitia designatur hic virtutis nomine, quia maxime intime pertinet ad efficaciam virtutis, ut sit secundum regulam quia est justitia generalis. Prudentia notatur per notitiam; quia prudentia & sapientia Christiana consistit in notitia practica voluntatis Dei. Temperantia dicitur continentia, quia hæc est generalis Temperantia, si quis contineat sese aut abstineat ab illis illecebris, quibus avocari possit ab officio. Fortitudo intelligitur istic per tolerantiam, quia hæc est vera Fortitudo Christiana, patienter ferre omnia adversa, & persistere in officio illis non obstantibus. Istæ igitur tales sunt conditiones, ut in omni officio debeant adesse. quæ etiam, si adsint, officium omne reddunt completum, neque abesse potest earum aliqua sine virtutis & officii læsione. Species officiorum duæ sunt: *Pietas*, quæ continet officia primæ tabulæ: & *Charitas*, quæ ad secundam tabulam spectat, quæ Charitas per modum quendam singularem determinatur, dum *amor* etiam *fraternus* appellatur, qua fertur in eos, qui sunt eadem nobiscum fide conjuncti. Circa ista officia proponitur ab Apostolo: 1. Actus communis, quo debemus in illis versari, nempe adjiciendo, ut ipse dicit: *adjicite*. 2. Modus hunc actum exercendi, nempe *omni collato studio*; uti & modus & gradus indicatur; modus est *studium*. gradus est *omne studium*. 3. Finis seu Scopus actus & officii in illis verbis: *ad hoc ipsum*, id est, ad illum finem, de quo fuerat antea locutus, ut scil. partici-

pes

pes reddamur divinæ naturæ, & gratiam ac pacem habeamus multiplicatam.

Documenta.

Docum. I. *Conatus noſtri debent adjungi votis noſtris, & operationi divinæ gratiæ.*

Hoc inde colligitur, quod dicit Apoſtolus ad hoc ipſum eſſe contendendum, quod ille nobis optavit, atque adeo optandum propoſuit, & quod divinam gratiam in nobis operari dixerat. Adjungi debent conatus votis ac precibus noſtris.

Ratio I. Quia alias ſincerum deſiderium non poteſt noſtris precibus adeſſe, ſine quo preces ſunt inanes, quia quod ſincere deſideramus, illud etiam ſemper aſſequi conamur.

II. Quia preces ipſæ obligant nos ad ejuſmodi conatum. In omni enim oratione ineſt promiſſio ac votum, quo Deo ſpondemus nos illud quæſituros quod ab ipſo petimus: ita ut petere quicquam à Deo ſine iſtiuſmodi conatu, non tantum ſit Dei nomen in vanum ſumere, ſed etiam majeſtatem plane illudere.

Conjungi etiam debent conatus noſtri cum gratia Dei, quia gratia eò tendit, ut & vires nobis ſuppeditet ad conandum, atque adeo etiam excitet ad vires iſtas exercendas.

Uſus I. Increpationis, adverſus ignavos iſtos homines, qui multa optant, & ſuo more petunt etiam à Deo, ad quæ tamen conſequenda, ne digitum quidem movebunt: ſunt iſti plane ſimiles iſtius pigri hominis, quem deſcribit ſapiens Prov. 10,11. & 22,13. & alibi, ubi *piger manum in ſinu gerit, &c.*

II. *Exhortationis*, ut quotidie velimus eſſe memores hujus obligationis, cum Deum precamur pro peccatorum remiſſione, pro liberatione à tentationibus, pro vitæ renovatione, aut quacunque emandatione, ſimul etiam conſtanter noſtros conatus adhibeamus ad iſtos fines aſſequendos.

Docum. II. *Conatus noſtri tendere ſemper debent ad incrementum gratiæ quam accepimus.*

Hoc inde colligitur, quod officii noſtri ſumma in adjiciendo collocatur: Rationes variæ.

Ratio I. Quia imperfectum eſt illud quod habemus dum manemus in hac vita, ſumus in ſtatu progreſſus & ædificationis, non quietis aut perfectionis, Eph. 4.12,13.

II. Quia quod accepimus datur nobis, ut ſit arrha, pignus & primitiæ illius perfectionis, quam adhuc expectamus & quærimus.

III. Quia fieri non poteſt, ut recte æſtimemus gratiam acceptam, niſi ad ſummum ejus gradum aſpiremus, & contenti ſimus accepto beneficio, nihil amplius ejuſdem generis expectantes.

IV. Quia non poſſumus quod accepimus retinere, niſi idem ſtudeamus augere: Sicut enim calor vitalis vel creſcit ſemper vel decreſcit, & qui aſcendit montem aliquem arenoſum ſemper debet contendere ſurſum, vel delabetur deorſum, ita eſt in vita Chriſtiana.

V. Quia Deo debemus facere, quod ipſum nobis facere velimus: ſemper enim Deum adjicere volumus illis beneficiis, & benedictionibus illis quas largiturus eſt nobis: debemus ergo & nos adjicere ſem-

per aliquid officiis observantiæ illius, quam Deo præstitimus.

Usus I. *Damnationis*, eorum qui acquiescunt plane in eo quod habent, & nihil ultra quærunt, multoque magis eorum, qui minuendo & amittendo consumunt & corrumpunt quod habuerunt, Apoc. 2. 4. hoc potest explicari per parabolam de talentis.

II. *Exhortationis*, ut sanctam quandam avaritiam exerceamus in rebus illis spiritualibus: Sicut enim homines avari conjungunt domum domui, agrum agro, Isa. 5. 8. sic nos etiam conjungere debemus fidem fidei, obedientiam obedientiæ, charitatem charitati.

Docum. III. *Conatus nostri debent cum omni studio adhiberi circa hæc spiritualia.*

Per *studium* autem *omne* intelligitur: 1. Summa mentis attentio. 2. Summa voluntatis contentio. 3. Cura ac sollicitudo quæ indicatur illa phrasi, qua jubemur quærere regnum Dei & justitiam ejus. Cum enim Matth. 6. 31. dixisset Christus, ne simus solliciti quid esuri & bibituri simus, explicat hanc sollicitudinem, v. 32, 33. per phrasin *quærendi*. 4. Diligentia in mediis illis usurpandis, quibus possumus assequi quod desideramus. Hujus studia circa spiritualia.

Ratio I. Est dignitas harum rerum supra omnia terrena, ad quæ tamen homines mundani tanto studio feruntur.

II. Difficultas, quia sua natura sunt supra vires nostras, & multa nobis etiam sunt impedimenta, tam interna, quam externa quæ superare non possumus, nisi omni studio collato.

III. Necessitas harum rerum, sine quibus nos plane miseri sumus.

Usus I. *Increpationis* adversus pigros, & desidiosos Christianos, qui tam remisse, frigide, & tepide saltem agunt in istis rebus, quæ tantum studium requirunt: perversitas hic apparet ingenii humani. Cum enim Deus interdixit, ne essemus solliciti de rebus humanis, quoniam illæ suppeditarentur nobis absque ejusmodi cura; & imperavit ut essemus soliciti de rebus spiritualibus, quoniam earum nunquam participes erimus sine studio: nos ex adverso studemus mundo, & negligimus cœlum.

II. *Exhortationis*, ut omni modo nos excitemus indies, & alii alios ad studium istud tam necessarium provocemus.

Docum. IV. *Fides est fons & principium omnis virtutis Christianæ.*

Colligitur ex textu. Quia fides hic ponitur, ut fundamentum super quo virtutes omnes sunt extruendæ.

Ratio 1. Quia sine fide nemo potest Deo placere ad vitam æternam, atque adeo virtutes ipsæ fidelium, quamvis Deo sint gratæ in se, præsertim si comparatio inter ipsas & vitia instituatur, non sunt tamen Deo gratæ ad salutem, utque possent à Deo præmium spirituale expectare: atque adeo si comparatio instituatur inter illas virtutes fidelium, non immerito dici possunt *splendida peccata.*

II. Quia ad virtutem constituendam non quæritur tantum materia bona & forma, sed etiam principium & finis. In corde autem fide destituto non est principium Christianæ virtutis, & ex defectu hujus principii sequitur etiam defectus, &

in fine & in forma. Modus quo fides virtutem producit, est : primò, ratione objecti, quod apprehendit, quoniam à Christo omnis gratia ac virtus derivatur : secundò, ratione effecti, quod cor hominis purificat fides, atque adeo aptum reddit ad ejusmodi operationes ac dispositiones : tertiò, quod ipsa fides est argumentum movens & impellens ad studium virtutis.

Usus I. *Increpationis*, adversus ædificatores illos imprudentes, qui virtutem quærunt fide neglecta, ac si tectum ædium vellent extruere sine posito fundamento.

II. *Exhortationis*, ut fidei maximam curam habeamus, quoniam omnes virtutes ex illa dependent.

Docum. V. *Virtus est gloria fidei.*

Inde colligitur quod adjicienda dicitur fidei tanquam aliquid spectans ad ejus perfectionem. Est autem perfectio non essentialis, sed complementalis ; non interna proprie sed externa.

Ratio I. Quia fides sine virtute non viva, sed mortua est.

II. Quia virtus est finis fidei.

III. Quia est ejus ornamentum.

Usus I. *Increpationis*, adversus eos qui fidem jactant neglecta virtute, quales multi fuerunt etiam Apostolorum tempore, ut apparet ex epistola Jacobi.

II. *Exhortationis*, Ut omni collato studio adjiciamus fidei virtutem.

Docum. VI, *Virtutis perfectio pendet à scientia.*

Colligitur ex illo : *Virtuti adjicite notitiam sive scientiam.* Per *scientiam* intelligimus non tam illam intellectualem virtutem quæ proprie dicitur scientia, quàm intellectum, sapientiam & prudentiam, quæ omnia designantur in Scripturis per rectam *cognitionem voluntatis divinæ.* Hæc autem cognitio est necessaria ad virtutem & universaliter & particulariter.

Ratio I. Quoniam virtus est habitus electivus, vel bonam electionem habet secum conjunctam : ad istam vero electionem requiritur ut homo recte percipiat finem, & etiam ea media quæ tendunt ad finem, & illum etiam modum quo possit per ista media ad finem pervenire.

II. Quoniam actiones virtutum in particularibus versantur, atque adeo non sufficit recte judicare in genere de bono & malo, nisi etiam applicetur judicium istud ad particulares operationes secundùm earum circumstantias.

Usus I. *Increpationis*, Adversus eos qui ignorantia sua sibimet placent, quasi ignorantia esset mater devotionis, aut alicujus virtutis, cum sit virtutum inimicissima & omnis profanitatis mater, præsertim si voluntaria sit, ut Petrus ostendit cap. 3. 5. ubi rationem reddit impietatis maximè profligatæ, quod volentes ignorabant irrisores illi, de quibus loquitur, ea quæ pertinent ad veram pietatem.

II. Ut & scientiam quæramus & partam etiam applicemus ad virtutem promovendam. Virtus enim sine scientia est cæca, & scientia sine virtute vana est.

Docum. VII. *Continentia vel temperantia est perfectio scientiæ.*

Per continentiam autem & temperantiam intelligimus moderationem, qua reprimuntur omnes cupiditates quibus allici vel impelli possumus

ſumus ad aliquod contrarium virtuti ac ſcientiæ.

Ratio I. Quoniam ſcientia tendit ad ejuſmodi moderationem & gubernationem affectuum.

II. Quia ſcientia ipſa non poteſt ſubſiſtere ſine hac moderatione. Niſi enim affectus dirigantur à ſcientia, ſcientia ipſa corrumpitur ab affectibus: hinc eſt quod multi errores ac hæreſes initium ſæpe ducunt à pravis moribus & affectibus, Ephe. 4. 18.

Uſus Increpationis, Adverſus eos qui inflantur ſcientia, cum interim per intemperantiam oſtendant ſe nihil adhuc ſcire, prout ſcire debent. 1 Cor. 8. 1, 2.

II. *Exhortationis*, Ut omnem ſcientiam ad gubernationem affectuum, & morum noſtrorum adhibeamus.

Docum. VIII. *Tolerantia conjungi debet cum continentia ad perfectionem virtutis.*

Per tolerantiam intelligimus illam gratiam quâ perſiſtimus in agendo bene, quamvis multa gravia nobis adverſantur. Includit igitur in ſeſe patientiam, conſtantiam & animi firmitatem, vel fortitudinem Chriſtianam. Continentia munit virtutem adverſus blanditias illecebrarum: tolerantia adverſus errores & aſpera quæque, ita ut perfulgeat plane virtus, ſi fundetur in fide, dirigatur per ſcientiam, & muniatur ab una parte per continentiam & ab altera parte per tolerantiam.

Uſus I. *Increpationis*, Adverſus levitatem & mollitiem & inconſtantiam hominum, qui ſeſe quidem profitentur ſtudioſos virtutis, nihil tamen tolerare poſſunt ut virtutem ſartam tectam conſervent.

II. *Exhortationis*, Ut omnes boni præparent ſe ad omnia mala toleranda propter virtutem & conſcientiam bonam.

Docum. IX. *Virtutum omnium maxime neceſſaria & primaria eſt pietas.*

Per pietatem intelligimus religionem veram erga Deum, ac animum deditum vero cultui Dei.

Ratio I. Quia circa nobiliſſimum verſatur objectum, id eſt circa Deum ipſum.

II. Quia maxime elevat & perficit cæteras omnes virtutes, dum refert illas & earum actus omnes ad divinum principium, & divinum finem. Pietas enim ſubjicit animum Deo in omnibus, ita ut autorem agnoſcat eum omnis boni, à quo omnis virtus ac donum perfectum fluit, & conſtituit eum ſummum bonum & ultimum finem ad quem omnes actus ſunt dirigendi.

Uſus I. *Increpationis*, adverſus eos qui moralibus & humanis quibuſdam virtutibus tantum tribuunt, ut ipſas pietati anteponant.

II. *Exhortationis*, Ut aſſidue exerceamus nos tam privatim quam publice ad pietatem hanc in animis noſtris promovendam.

Docum. X. *Cum pietate erga Deum conjungendus eſt amor erga proximum.*

Ratio Quia pietas ipſa amorem iſtum imperat & generat. Proximum enim Chriſtiano amore complectimur, cum Dei cauſa ipſum diligimus, non noſtra, aut ratione aliqua mundana inducti. Producit autem pietas iſtum amorem erga proximum. 1. Quoniam Dei mandato obtemperandum eſſe docet, qui juſſit

juſſit ut proximum diligamus. 2. Quia divinam imaginem, & bonum quodque divinum in proximo diligere docet. 3. Quia perducit nos ad Deum ipſum imitandum in communicatione boni. Pietas ergo quæ ſejungitur à charitate non eſt vera pietas, & charitas illa quæ à pietate ſejungitur non eſt vera charitas, ſed vel ſimulatio, vel humana quædam civilitas.

Uſus I. *Exhortationis*, Ut pietatem noſtram erga Deum per amorem erga proximum oſtendamus & exornemus.

II. *Increpationis*, Adverſus eos qui multam pietatem præ ſe ferunt erga Deum, cum interim omnes occaſiones captant malefaciendi proximis, ſi modo poſſint aliqua ratione inde rem ſuam facere.

Docum. XI. *Amor iſte extendi debet ad omnes homines, ſed præcipue debet exerceri erga fratres.*

Sic enim diſtincte ponuntur verſ. 7. *Fraternus amor & charitas.* Horum utrumque eſt proprium Chriſtianorum. Solus enim Chriſtianus diligit omnes etiam inimicos ſuos, & ſolus etiam diligit fratres, id eſt, domeſticos fidei omnes diligere debemus. 1. Ut participes naturalis boni nobiſcum. 2. Ut capaces etiam ejuſdem boni Spiritualis. Fideles autem diligere debemus etiam ut participes ejuſdem boni Spiritualis nobiſcum.

Uſus Exhortationis, Ut ædificemus noſmetipſos in iſta charitate, quæ eſt character Chriſtianiſmi.

Verſ. 8.

Hæc enim ſi vobis adſint, & abundent, non inertes vos nec infructuoſos efficient in Domini noſtri Jeſu Chriſti agnitione.

ANALYSIS.

INcipit hic Apoſtolus confirmare exhortationem, quam antea habuerat de adjicienda fidei virtute, notitia, & deinceps. Confirmat autem duplici argumento. 1. petitur à commodo quod adjungitur iſtis virtutibus ad quas hortatur. 2. ab incommodo quod ſequitur earum privationem vel abſentiam. Primum ponitur verſ. 8. Secundum verſ. 9. commodum propoſitum illis verbis continetur, *non inertes nec infructuoſos vos efficient*: ubi per negationem affirmatio contraria intelligitur, quod nempe per iſtas virtutes erunt agiles vel activi atque etiam fructuoſi, quæ commoda vel bona explicantur ab efficiente cauſa primaria, quæ eſt agnitio Domini noſtri Jeſu Chriſti; & ſecundaria, quæ ſunt ipſæ virtutes ad quas hortatur. Has autem virtutes explicat ſecundum illam rationem quam antea innuerat in exhortatione quoad modum & quoad gradum: quoad modum ut adſint, quoad gradum ut abundent.

Documenta.

Docum. I. *Spiritualia ſunt commoda ex virtutibus emergentia, quibus ad ſtudium virtutis fideles excitantur.*

Colligitur ex propoſito hujus

versus, & ex connexione quam habet cum priori exhortatione. Commoda ista talia sunt ut à carnalibus & mundanis hominibus non possint intelligi; sed à fidelibus non tantum percipiuntur, sed etiam maximo & assiduo studio quæruntur. Alias argumentum istud quo utitur Apostolus erga fideles fuisset planè inefficax. Sunt autem ista commoda talia, ut divites homines efficiant non in hoc mundo, sed in Domino, 1 Tim. 6. 18. Luc. 12. 21.

Usus Increpationis, adversus terrenos illos homines qui istiusmodi argumentis non moventur, sed inhiant lucro, commodis & voluptatibus hujus vitæ, nec sapiunt quæ sunt regni Dei.

Docum. II. *Magnum commodum est fidelibus, & sic ab ipsis habetur, si possint esse ad opera bona parati.*

Ex hoc colligitur, *non efficient vos inertes*, id est, non otiosos aut ignavos in professione religionis.

Ratio I. Quia summa miseria est ut homines ad opera bona reprobi sint.

II. Quia hac promptitudine ad benefaciendum, fideles fiunt votorum suorum compotes.

III. Quia vita spiritualis hac ratione exercetur & augetur. Sicut enim omnis vita est principium operandi & tendit ad operationes, ita etiam per operationes augetur, ac promovetur.

IV. Quia Dei gloria in qua summum bonum & felicitas hominum consistit, hac ratione promovetur.

Usus I. *Increpationis*, Adversus ineptos & ignavos eos Christianos, qui suum proprium commodum negligunt & potius non intelligunt quid illud sit in quo locatur.

II. *Exhortationis*, ut omni ratione paremus nos ad benefaciendum, atque adeo juxta mentem Apostoli in hoc loco comparemus nobis omnem virtutem, *ne simus inertes in cognitione Christi.*

Docum. III. *Opera bona sunt fructus à fidelibus assidue proferendi.*

Colligitur ex eo, quod fructificatio ex virtutibus & postulatur & promittitur hoc loco. Postulatur eo, quod Apostolus innuit hoc esse fidelibus necessarium ut sint fructuosi. Promittitur ex eo, quod statuitur ut commodum è virtutibus oriundum. Opera bona dicuntur *fructus* per metaphoram, propter similitudinem quam habent ad arborum ac plantarum fructus. In fructu autem naturali multa considerantur, quæ secundum Scripturam applicari debent ad opera bona. 1. Ut sit aliquid conveniens naturæ seminis, ex quo oritur. 2. Ut non tantum boni aliquid in se habeat, sed etiam perfectiones: hinc flores & folia non solent appellari fructus, quamvis proveniant ex eodem semine cum fructibus, & sit ultimum illud quod procedit, & habet in se perfectionem illam ut sit finis & seminis & cæterorum omnium quæ ex semine oriuntur ante fructum. 3. requiritur etiam præsertim in iis quæ ex cultura oriuntur, ut aliquid sit desideratum, gratum, & expectatum cultori, ac domino vel possessori. Hæc omnia in Scripturis sic applicantur ad opera bona, ut sint convenientia verbo Dei quod est semen, ut est in parabolis Matth. 13. Marc. 4. de semine bono, & differunt opera bona à zizaniis sicut uvæ differunt à labruscis. Esa. 5. 2. 2. Utilitatem

nitatem habeant in ſeſe. Opera enim mala neque ſunt propriè fructus ſecundum Scripturam, niſi cum adjectione mali fructus Mat. 5. 7. Neque aliquem fructum adferunt ſuis autoribus. Rom. 6. 2. Debent etiperfectionem habere in ſuo genere: ſicut enim ſemina quæ in parabolâ dicuntur oriri uſque ad ſpicam forte, quia tamen non perveniebant ad perfectionem juſtam, nullos fructus dicuntur protuliſſe: ſic etiam Chriſtiani qui profeſſionis tantum flores, & folia habent & non opera ſolida pietatis, habentur coram Deo pro infructuoſis & ſterilibus plantis. 3 debent etiam opera noſtra reſpondere expectationi Dei, & curæ illi, quam poſuit in animis noſtris colendis, Iſaiæ 5. 2. Luc. 13. 5. & 20. 10. quamvis in iſtis omnibus ſit ſimilitudo inter opera bona & fructus, una tamen obſervari poteſt diſſimilitudo, nempe quod cum fructuum naturalium utilitas redire ſolet ad cultorem ac Dominum, utilitas & commodum horum fructuum redundat propriè ad illos qui ferunt Rom. 6. 22. quamvis hinc etiam aliquid redundat in Deum cultorem ac Dominũ noſtrum Jo. 15. 8.

Uſus I. *Condemnationis*, adverſus illos qui fructus nullos proferunt Matth. 3. 10. Joh. 15. 2. Luc. 13. 7. Multo magis illi damnandi ſunt, qui ſunt inſtar terræ maledictæ, & loco fructuum proferunt ſpinas & tribulos, Heb. 6. 8. Deut. 32. 32.

II *Exhortationis*, Ut omni modo ſtudeamus fructibus bonis proferendis, ita etiam ut ſint accomodi mediis illis, quibus uſus eſt Deus erga nos, ut frugiferos nos redderet ſecundum expectationem Dei, & in illa tempeſtate qua Deus expectat, & in illa etiam menſura quam expectat, ab aliis centenam, ab aliis ſexagenam, ab aliis tricenam.

Docum. IV. *Sine iſtiuſmodi fructibus agnitio Dei eſt inutilis.* Eſt enim quaſi ſuffocatum à ſpinis aut exarefactum.

Uſus Admonitionis, Ut eo magis ſolliciti ſimus de fructibus ferendis, ne accumulemus peccatum iſtud ſterilitatis hoc altero, reddendo ſermonem Dei vacuum & inanem, Rom. 1. 18.

Docum. V. *Ut ſimus fructuoſi, virtutes non tantum adeſſe nobis debent, ſed etiam in nobis abundare.*

Adſunt nobis cum habitum earum nobis comparavimus; abundant, cum perfectiorem illum habitum efficere ſerio ac ſedulo conamur.

Verſus 9.

Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt nihil procul cernens, oblitus, ſeſe a vebus peccatis ſuis fuiſſe purificatum.

ANALYSIS.

SEcundum hoc eſt argumentum quo confirmatur exhortatio Apoſtoli, petitur ab incommodis quibus urgentur omnes illi qui alieni ſunt à ſtudio virtutum. Incommoda autem illa ſunt oppoſita comodis illis quorum mentio priori verſu facta eſt. Vult enim Apoſtolus

dicere eos, quibus istæ virtutes non adsunt, esse planè inertes & infructuosos. Hoc vero non simpliciter exprimit, sed explicat a causis. Causæ autem duæ sunt, Cæcitas & Oblivio. Qui enim cæcus est necessario est iners ac otiosus, præsertim ad illa negotia quæ oculos requirunt; & qui oblivione tenetur beneficii accepti, non mirum est si nullos fructus proferat illo beneficio dignos. Cæcitas explicatur per objectum vel beneficium illud quod debet memoriâ retineri, id est purificatio à veteribus peccatis. Per cæcitatem hoc in loco non intelligitur privatio visus corporalis, aut intelligentiæ naturalis, sed spiritualis illius perfectionis, qua salutariter percipiuntur quæ pertinent ad regnum Dei, & vitam nostram æternam. Per ea quæ procul vel remota sunt intelliguntur verè spiritualia, quæ quoad naturam ac statum, tam longe absunt ab hominibus carnalibus, atque cœlum à terra.

Documenta.

Docum. I. *Omnes qui destituuntur studio virtutis sunt spiritualiter cæci.*

Duplici enim laborant cæcitate 1. naturali illa in qua omnes jam filii Adami nascuntur, ad exemplum illius qui cæcus fuit à nativitate Joha. 9. & altera adventitia, quam sibimet ipsis accersunt peccatis suis, ex justo Dei judicio excæcantis eos qui nolunt videre ad exemplum Magi illius Act. 13. 11. adversus quem manus Domini fuisse videtur, ut esset cæcus. Prior illa cæcitas antecedit ut causa neglectus virtutis, altera subsequitur ut effectum, apparet utraque iisdem signis quibus cæcitas corporalis.

Ratio I. Quod nesciant illi homines specialem illam viam quam debent ingredi.

II. Non possunt observare impedimenta & offendicula illa quæ sunt in viâ, sed perpetuo impingunt & cadunt.

III. Ne colores quidem possunt discernere quæ iis ipsis rebus insunt quas tractant, atque adeo, ut est Isa. 5. 20. *dicunt de malo bonum esse, & de bono malum* &c. Illud unicum accedit ad miseriam eorum supernaturaliter cæcorũ, quod non quærunt ductores idoneos, sicut de Mago dicitur, Act. 13. vel enim sibimet plane fidunt, quoniam non norunt se esse cæcos Apoc. 3. 17. vel cæcum aliquem ductorem sequuntur, ut ambo cadant in fossam.

Usus I. *Admonitionis*, Ut spiritualem illam cæcitatem agnoscamus, & fugiamus. Adhæret enim vel ex toto, vel ex parte unicuique nostrûm. Cogitare debemus quanta miseria sit in perpetuis tenebris & densissima caligine manere. Christus flevit super Hierosolymam propter hanc cæcitatem.

II. *Exhortationis*, Ut omni studio confugiamus ad Deum, qui potest oculos nostræ mentis aperire. Cæcus illæ, Luc. 18. 38. non desiit clamare ac vociferari, dicens; *Jesu fili David miserere mei*, & rogatus à Christo quid vellet, nihil aliud postulavit quàm ut visum recipiat: sic etiam in spirituali cæcitate, quamvis fuerit in Davide magna ex parte sanata, videmus tamen quod constanter Deum orat, ut velit ipsius oculos aperire, Psalm. 119. 18. Sic etiam Apostolus dicit, se non cessasse precari

precari pro fidelibus, ut oculos mentis haberent illuminatos, Eph.1.18. Hoc est consilium Spiritus Sancti & Christi. Apoc.3.18.

III. *Institutionis*, Ut nunquam nosmetipsos visum recipisse putemus, antequam studium virtutis sentiamus & exerceamus.

Docum. II. *Oblivio beneficiorum Dei est magnum malum, & peccatum, & miseriam secum trahens.*

Tribuitur enim istic illis qui alieni sunt à virtute, non tantum ut peccatum, sed etiam ut grave incommodum, & opponetur illi fructificationi in qua fidelium & observantia & felicitas consistit. Peccatum est, quoniam ingratitudinem in se continet, & ingratitudinis non minimum gradum; si quis enim sit memor beneficii accepti, ut gratias habeat, si tamen non referat, dicitur ingratus, si referat frigide & non conetur meritis benefacientis, & beneficii dignitati respondere, non est adhuc immunis ab hoc vitio, sed si plane oblivioni tradat beneficium illud quod accepit, rectè tum dicitur quasi bis ingratus.

Usus Admonitionis, Ut caveamus nobis ab isthoc ingratitudinis genere: neque tum tantum ingratos nos putemus cum malum reponimus pro bono, sed etiam cum ipsius boni accepti ullo modo obliviscimur.

Docum. III. *Ille coram Deo dicitur oblivisci beneficiorum acceptorum, qui non est eorum efficaciter memor, id est, qui non ita memini, ut congruenter vivat.*

Colligitur ex eo, quod opponuntur fructificatio & oblivio. Ponuntur enim immediate contraria, ita ut non detur tertium aliquod intercedens, Deut. 32. 18. Dicuntur Israelitæ oblivioni tradidisse Deum illa sola ratione, quod deseruerant rectum Dei cultum, & obedientiam debitam: explicatur vers. 15. Psal.119.13 ubi toties dicuntur fuisse obliti Dei, & operum ejus, quoties obmurmurarunt ei, quamvis non dubitandum sit, quin rogati facile totam historiam narrare potuerint eorum, quæ Deus pro ipsis fecerat in Ægypto. Similis est ratio Verborum Christi cum discipulos rogaret, an obliti essent miraculi, de quinque panibus & duobus piscibus, innuens oblivionis hujusmodi indicium esse manifestum, quod tam solliciti tum temporis fuerint de pane.

Usus I. Ut non acquiescamus in memoria theoretica, quæ coram Deo habetur pro oblivione.

II. *Exhortationis*, ut omni modo studeamus huic arti memoriæ.

I *Regula* est, ut non perfunctorie transvolemus cogitationem ejusmodi rerum, sed penitus inspiciamus ipsarum naturas & circumstantias; Nam quo magis accurate perspicimus, eò firmius retinemus.

II. *Regula*, ut easdem res ita perceptas revocemus etiam ad animos & corda nostra, ita ut efficaciam intime earum consideremus; quo magis enim commoventur affectus, eò firmior est impressio in ipsa memoria: inde est quod pueri multa solent meminisse, quæ alii oblivisciuntur, quoniam omnia admirari solent tanquam nova, & nos etiam non facile obliviscimur eorum, quæ admiramur, ut quibus admodum afficimur, Psalm.119. 16. *In statutis tuis me oblector*, ibi est affectus,

& non obliviſcar Verbi tui : ibi memoria ex affectu promanans.

III. *Regula*, ut monitorium apud nos perpetuo habeamus, quo memoria harum rerum poſſit conſervari, *Numb.* 16. 39. *Hic eſt monitorium.* Noſtrum autem monitorium eſt Verbum Dei præcipue, quod quotidie iſto nomine legere ac meditari debemus.

Docum. IV. *Purificatio noſtra à peccatis eſt beneficium nunquam oblivioni tradendum.*

Ratio I. Quia maximum eſt in ſeſe & ſua natura, cum per illud liberamur à reatu, & dominatione peccati, à maledictione legis, ab ira Dei, & morte æterna.

II. Quia maximam vim & efficaciam habet ad ſtudium gratitudinis, & virtutis in nobis excitandum: ſicut hic apparet ex arguendi modo, quo utitur Apoſtolus. Idcirco etiam Paulus, *Rom.* 12. 1. & aliis in locis adhortatur fideles per *miſerationes Dei.*

Uſus I. Damnationis, adverſus eos, qui miſericordiam Dei & redemptionem per Chriſtum, vel non cogitant omnino, vel convertunt in anſam & occaſionem peccandi.

II. *Exhortationis*, ut quotidie meditemur de iſto beneficio, neque nobis ipſis ſatisfaciamus, niſi hoc argumento excitemur indies ad ſtudium pietatis.

Docum. V. *Peccata omnia à quibus ſumus in Chriſto purificati, haberi debent pro veteribus, id eſt, pro obſoletis, derelictis, mortuis, nunquam reſumendis.*

Verſ. 10. & 11.

Quapropter, fratres, patius ſtudete vocationem, & electionem veſtram firmam efficere: hæc enim ſi feceritis, nunquam impingetis.

Ita enim amplè ſubminiſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti.

COntinetur iſtis verbis concluſio exhortationis Apoſtolicæ, ſicut indicat vocula prima, *Quapropter.* Quod autem concluſio & quæſtio eadem ſemper debeat eſſe quoad rem ipſam, quamvis ratione aliqua differant, non eſt dubitandũ, quin idem hic concludat Apoſtolus, quod antea ver. 5. ſibi propoſuerat concludendum. *Ut omni collato ſtudio adjiciant fidei virtutes, &c* Sicut & repetitur in Scripturâ : non ſolent eſſe vanæ, neque nudæ, ſed maxima ex parte cum aliqua uſura aut fœnore; ſic etiam hoc loco non ſimpliciter repetitur exhortatio ad ſtudium virtutis, ſed illuſtratur & arguitur illud ſtudium per officium ſuum proprium, id eſt, per confirmationem vocationis & electionis noſtræ, ita ut ſimul repetatur exhortatio, & adjiciatur etiam novum argumentum, idque graviſſimum, quo magis poſſit urgeri; hac nempe forma: *Si per ſtudium bonum operum electionem veſtram, & vocationem firmam efficitis, tunc maxime debetis in illud ſtudium incumbere : ſed verum prius: ergo.* Aſſumptio ponitur in textu, & probatur argumento duplici: 1. A remotione contrarii vel apoſtatiæ quæ maxime oppo-

tur firmitati vocationis & electionis, & æque etiam opponitur ſtudio virtutis & bonorum operum, quod oſtenditur iſtis verbis : *Si hæc feceritis, nunquam impingetis :* quibus talis ratio continetur ; ſi nunquam impingetis, tunc firmam habebitis vocationem. Argumentum 2. eſt ab adjuncta facilitate, quæ per cauſam ſuam propriam explicatur, id eſt, per introitum copioſum in æternum regnum Chriſti. Hoc autem argumento & concluſio & etiam argumentũ antecedens ſimul corroboratur, hoc modo : Si amplum introitum habeatis in æternum regnum Chriſti, tum nunquam impingetis, ſed vocationem veſtram firmam retinebitis ; Atqui ſtudentes virtuti & bonis operibus habebitis amplum introitum in æternum regnum Chriſti : Ergo ſtudentes virtuti & bonis operibus nunquam impingetis, ſed habebitis vocationem firmam. Antequam autem conſideremus concluſionem ipſam quam ponit Apoſtolus, modus occurrit obſervandus, quo illam proponit, ita ut magis penetret. Modus autem indicatur illo titulo quem tribuit fidelibus, dum appellat illos *fratres*, qui titulus non eſt benevolentiæ tantum, ſed ſingularis cujuſdam dilectionis, qualis eſt inter homines maxime conjunctos.

Obſerv. Poteſt hic obſervari in genere noſtras obſervationes, & exhortationes benevolentia, & charite eſſe condiendas ; ſed magis ſpecialiter nobis hoc documentum ſuppeditat, nullum eſſe magis fraternum officium, quam excitare & perducere eos, quos diligimus, ad ſtudium vitæ Chriſtianæ.

Ratio I. Quia hoc pacto à maximis malis liberantur, *Iac.* 5. 20.

II. Quia participes fiunt maximorum bonorum, ut ex iſto textu ſatis apparet.

Vſus I. *Admonitionis*, ne in malam partem accipiat quiſquam admonitiones & exhortationes, vel publicas, vel privatas, quæ tendunt ad iſtum finem.

II. *Exhortationis*, ut hunc in modum temperemus noſtras exhortationes & admonitiones, atque ita frequentiores ſimus in iſtis officiis. Sæpe enim oſoris aut inimici partes agit, qui negligit hæc officia, ſicut fratris & amici intimi ſunt hæc officia propria, *Levit.* 19. 17.

Documenta.

Docum. I. *Firmitas noſtræ vocationis & electionis eſt res maxime deſideranda.*

Colligitur ex textu. Quia *Petrus* in hac exhortatione præſupponit tale aliquod deſiderium in fidelibus, ac deinde excitat ad deſiderium magis ardens.

Ratio. Quia beatitudo noſtra & omnia bona ſpiritualia ſunt maxime deſideranda, & pendent ex hac firmitate vocationis & electionis. Electio enim eſt gratuitus Dei amor, quo intendit nobis gratiam beatificam, ſive benedictionem ſupernaturalem. Vocatio eſt manifeſtatio illius amoris per applicationem hujus gratiæ beatificæ. Firmitas utriuſque eſt 1. In Dei propoſito immutabili, 2 *Tim.* 2. 19. *Fundamentum Dei manet firmum.*

II. In efficaci illa operatione, quam benedictiones iſtæ Dei habent in nobis, ut iſto loco *Timoth. Fundamentum illud habet ſigillum hoc,*

ut

ut abscedat ab injustitia, quisquis invocat nomen Christi.

III. In certitudine fidei, fiduciæ & perceptionis experimentalis, quam assequitur, & de bono illo Dei erga nos proposito, & de efficaci & salutari ejus operatione in cordibus nostris.

Vsus I. Condemnationis eorum, qui nullo affectu commoventur erga spiritualia ista bona, sed acquiescunt in rebus mundanis ac terrestribus. Similes sunt Israelitarum rebellium, qui cepas & allium Ægypti magis desiderabant, quam lac & mel terræ promissæ, aut Mannam istam cœlestem, *Numer.* 11. 5, 6. pejores multò sunt, quam filius prodgus, si semper acquiescant in siliquis porcorum, & nunquam disiderant panem, qui est in paterna domo, *Luc.* 15. 16, 17.

II. *Exhortationis*, ut excitemus nosipsos ad spiritualem quasi famem ac sitim erga bona ista spiritualia: medium optimum nobis ostendit Deus ipse, qui cum voluit in populo Israelitico excitare desiderium terræ promissæ, subinde commendavit illis terræ divitias, quibus affluebat: Sic nos etiam ob oculos semper debemus habere innumerabiles illas benedictiones, quæ pendent a vocatione & electione nostra.

Docum. II. *Ad nostrum officium pertinet firmam efficere hanc nostram vocationem & electionem.* Studete.

Non quia sunt in proposito Dei, sed quia efficacem habent in nobis operationem, qua certo nobis manifestantur & obsignantur, atque hæc est ratio cur vocatio ista locatur ante electionem: quamvis enim electio sit æterna in Deo; vocatio autem in tempore, tamen in nobis prius percipiuntur vocatio quam electio, & electionis perceptio pendet a vocationis efficacitate.

Ratio I. Quia quamvis Deus ipse hoc efficiat, efficit tamen moraliter suadendo ex parte & per illa media, in quibus opera nostra postulatur.

II. Quia nulla sunt vocationis & electionis effecta quæ non etiam effecta nostra sunt, quoniam Deus facit ut nos efficiamus.

III. Quia illud ipsum quod Deus in hoc genere facit, nos aliquo modo efficimus, si assiduis precibus ab ipso hoc impetremus.

IV. Quia Dei confirmatio talis est ut similem confirmationem etiam postulet à nobis. Deus confirmat vocationem & electionem nostram promissione, fœdere, sacramentis, juramento & spirituali arrhabone. Hæc eadem autem pariter à nobis postulant promissionem, & votum Deo adherendi, fœdus, fidem, conatum, & omnia illa, quibus confirmari possimus in communione illa quam habemus cum Deo.

Usus I. *Consolationis*, quoniam firmitas ac certitudo vocationis ac electionis nostræ, non tantum possibilis est nobis, sed etiam imperata, ita ut nihil Deo sit gratius, quam ut studeamus ista magis magisque nobis habere confirmatissima: est enim hic finis & promissionis & præcepti.

II. *Increpationis*, adversus illos, qui vel susque deque habent primarium illud fidelium officium, vel tam perfunctorie curant, ut necesse habeant semper fluctuare animis, circa

circa illa in quibus maxime confirmari debent. Pernicioſa eſt illa Pontificiorum doctrina, quæ animos hominum ſemper ſuſpenſos tenet, & in vita & morte. In vita enim fiduciam iſtam firmam accuſant præſumptionis, & in morte ipſa relinquunt miſeros homines in dubio, quamdiu nempe ſint in purgatorio cruciandi.

III. *Exhortationis* ad hoc ſtudium; Eſt autem hoc ſtudium inſeparabile à vera & viva fide: Sicut enim inter homines, ſi quis crederet hæreditatem aliquam ſibi à Patre vel alio relictam, non acquieſceret antequam haberet ſibi confirmatam, ſecundum leges & conſuetudines regionis, in qua vivitur; ſic etiam fideles circa iſta bona ſpiritualia.

Docum. III. *Illi omnes & ſoli firmam ac certam habent ſuam electionem, qui firmam ac certam habent ſuam vocationem.*

Hæc duo Deus conjunxit, ut Apoſtolus in hoc loco connectit, ita ut à nemine debeant aut poſſint disjungi. Hinc vocatio & electio in Scripturis aliquando pro eodem ſumuntur, 1 Cor. 1. 26, 27. quod *vocatio* vocatur, verſ. 26. dicitur *electio* verſ. 27. Eſt quidem vocatio quædam externa & inefficax, quæ ſeparatur ſæpe ab electione, ut cum dicitur, *multi ſunt vocati, pauci electi.* Efficax & ſalutaris vocatio certam ſemper connexionem habet cum electione, Rom. 8. 30. & 11. 28, 29.

Ratio Quoniam hæc vocatio nihil aliud eſt, quam operatio Dei, quâ in tempore incipit exequi propoſitum illud electionis, quod ab æterno decreverat.

Uſus Increpationis, adverſus illos, qui jactare ſolent ſuam electionem, ac ſuam prædeſtinationem, cum interim nihil curant vocationem vel converſionem ſuam, vel ſibi vel aliis demonſtrare. Præſumptio eſt, quicquid dicitur de electione, niſi prius conſtiterit de vocatione.

II. *Conſolationis*, erga omnes fideles pœnitentes, converſos ac vocatos, quoniam iſti omnes poſſunt ac debent eſſe certi de electione ſua.

Docum. IV. *Studium virtutis ac bonorum operum eſt unica ratio confirmandi noſtram vocationem & electionem.*

Colligitur ex illis verbis, *ſi hæc feceritis.*

Ratio I. Quia hæc ſunt effecta propria vocationis & electionis.

II Sunt cauſæ cognitionis illius quam habemus de vocatione & electione noſtra. Cognitio enim & certitudo harum rerum pendet ex actu reflexo noſtri intellectus, quo percipimus in nobiſmetipſis notas & ſigna vocationis efficacis, atque adeo electionis æternæ. Hinc iſta certitudo creſcit, & decreſcit in nobis, prout ſtudium virtutis ac bonorum operum majus vel minus eſt.

Uſus I. *Refutationis*, eorum qui docent certitudinem electionis adverſari ſtudio pietatis, cum inter iſta tanta ſit conſenſio, quanta inter effectum & cauſam, quæ inter ſe abſolute conſentiunt.

II. *Condemnationis*, eorum qui ex doctrina illa de electionis firma certitudine, anſam arripiunt, curam omnem pietatis abjiciendi: iidem ſunt iſti homines de quibus Apoſtolus loquitur, cap. 3. 16. *Qui indocti parumque ſtabiles detorquent Scriptu-*

ras

ras ſuo ipſorum exitio. Quamvis electio Dei ſit certa in ſeſe, non eſt tamen cuiquam homini certa ſine ſtudio pietatis. Deinde ipſa electionis certitudo quæ eſt in Deo certum hoc reddit, neminem unquam fore ſalvum ex electionis, niſi intercedat ſtudium pietatis: iſtiuſmodi verba vel cogitationes ſunt indicia certa profanæ animæ, quæ nihil curat vel electionem, vel ſalutem, neque ullam reverentiam habet Dei. Cum enim æquè certum ſit apud Deum, quouſque quiſque noſtrum vivit in hoc mundo, nemo tamen eſt qui vitam ſuam non curat, vel reliqua media vivendi, niſi ſit plane mente captus: ſic ex electionis certitudine nemo eum in modum concludit, niſi ſit plane profanus.

III. *Exhortationis*, ut excitemus noſmetipſos magis magiſque ad hæc facienda, ex quibus tantos fructus percipiemus.

Docum. V. *Per ſtudium harum rerum præmuniamur adverſus pericula tentationum omnium*: Hæc ſi feceritis, nunquam impingetis.

Ratio I. Quia nunquam inducimur in tentationem ullam ſine noſtra culpa, atque adeo ſine remiſſione hujus ſtudii.

II. Nunquam nos inducimur in tentationem, niſi nos primo Deum tentaverimus, relinquendo media iſta quibus poſſimus conſervari.

III. Deus poteſt & vult ſtabilire eos qui ad ipſum confugiunt, & qui quærunt eum in viis ipſius. Huc pertinent promiſſiones illæ frequentes, quales ſunt, Pſalm. 15. ult. verbis Pſalmi 16. 8.

Docum. VI. *Quò magis liberamur à lapſibus peccati, eò magis confirmamur in vocatione & electione.* Colligitur ex oppoſitione illa, quæ ſtatuitur inter firmitatem vocationis & lapſus noſtros.

Ratio Eſt à contrarietate; ſicut enim quo magis diſpelluntur tenebræ, eo magis invalescit lux, & contra: ſic in iſtis.

Docum. VII. *Quantum proficimus in gratia & virtute, tantum etiam proficimus in fortitudine.*

Colligitur ex connexione verſus hujus ſecundi cum prioribus, cujus vis in eo ponitur, quod adjiciendo fidei virtutem, & virtuti notitiam, adjiciemus etiam aliquid ad participationem illam, quam habemus in regno Dei: ubi obſervandum idem plane verbum uſurpari hoc verſu 1. ubi agitur de gloria ac virtute ibi, ὃτι χωρηγήσατε, hic ἐπιχωρηγηθήσεται.

Ratio eſt, quoniam ſicut in malo peccatum nunquam ſeperatur à pœna, ſed in ipſo peccato eſt labes vel macula, quæ habet rationem miſeriæ: ſic etiam in bono obſervantia & virtus nunquam à præmio ſeparantur. Habent enim conjunctam ſemper perfectionem ſtatus, & conſolationem, quæ pertinet ad beatitudinis præmium.

Uſus I. *Conſolationis*, adverſus afflictiones hujus vitæ, quamvis enim nullam mercedem reportant fideles ab iſthoc mundo per iniquitatem hominum, niſi odium, probrum, contemptum, perſecutiones: in eo tamen poſſunt acquieſcere, quod non tantum in vita futura mercedem amplam ſint accepturi, ſed etiam in præſenti vita accipient aliquo modo. Matt. 5. 10, 11. & 19. 29.

II. *Exhortationis*, ad omnem charitatem

ritatem in ſtudio pietatis; quia labor iſte non inanis eſt, ſed mercedem ſuam habet in præſenti, 1 Corinth. 15. ult.

Docum. VIII. *Beatitudo iſta conſiſtit in participatione æterni regni Dei.*

Per regimen Dei intelligitur propriè ſtatus ille in quem fideles transferuntur per vocationem efficacem: hujus ſtatus cum duo ſint gradus: diſtinguitur hoc regnum in regnum Gratiæ & regnum Gloriæ. In regnum Gratiæ, quoniam prædicatio & miniſterium Evangelii eſt ejus cauſa efficiens, idcirco ipſum Evangelium vocatur in Scripturis regnum Dei, & quoniam Eccleſia eſt ſubjectum proprium hujus ſtatus & conditionis, idcirco etiam Eccleſia vocatur regnum Dei, & quia gratia ſpiritualis primarias partes obtinet in iſto ſtatu, idcirco etiam illa regnum Dei vocatur, Roman. 14. 17. ſed maximè proprie ſtatus ipſe eſt regnum Dei. Regno autem potius comparatur quam democratiæ, aut ariſtocratiæ, aut alii alicui ſocietati.

Ratio I. Propter dignitatem & ſplendorem quem habet.

II. Quoniam imperium hic eſt penes unum. Quamvis enim aliquando vocatur regnum Dei, aliquando regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti, at hoc loco; non duo tamen reges conſtituuntur cum Deo quoad eſſentiam, ſed ſingularem quandam diſpenſationem habere oſtenditur in iſthoc regno.

III. Quia leges & edicta hujus ſocietatis ſunt planè regia & monarchica; ſigilla etiam & omnia quæ pertinent ad iſtam diſpenſationem effigiem quaſi gerunt unius legis.

Uſus I. *Conſolationis*, Adverſus fideles qui debent ſecum cogitare, & ſæpius ad animum revocare, ad quantam beatitudinem ſint vocati. Quod enim dixit olim David. 1 Sam. 18. 22. *An videtur leve in oculis veſtris generum eſſe regis*, idem omnes fideles poſſunt de ſemetipſis pronuntiare reſpectu hujus regni, quod non leve ſit fieri cives hujus regni, præſertim cum nos pauperes & viles ſimus, eo major erit iſta conſolatio ſi perpendamus gloriam, & æternitatem hujus regni. Gloria talis eſt, ut regnum Davidis ac Solomonis in maxima gloria, quam unquam habuerunt, imperfectæ tantum repreſentationes & quaſi umbræ fuerint hujus regni. Habuerunt enim rationem typi. Tanta eſt hujus regni gloria, ut omnes cives & ſubditi ſint, aliquo modo reges, Apoc. 1. 6. Æternitas talis eſt ut neque fini, neque eſſentiali ulli commutationi vel in toto vel in partibus ſit obnoxia. Confer omnia regna Perſarum, Medorum, Græcorum quæ omnia ſunt abolita: hoc unum Dei manet in æternum.

Uſus II. *Increpationis*, Adverſus eos qui profitentur ſe Chriſtianos, & tamen ita vivunt quaſi nullis legibus tenerentur, nec ullum regnum agnoſcerent. Sicut enim commemoratur hoc ut cauſa quod in omnia flagitia ruebant Iſraëlitæ, quoniam nullus rex fuit in Iſraële, ſed quiſque quod rectum videbatur in oculis ſuis faciebat, Jud. 17. 6. & 18. 1. Sic etiam iſti quaſi proclamant, ſe neque Chriſtum neque Deum agnoſcere pro rege ſuo, dum faciunt quod rectum videtur in oculis ſuis, ſive Deo placent ſive diſplicent. Expectanda

eſt

eſt iſtis hominibus illa Chriſti ſententia quæ ponitur. Luc. 19. 27.

III. *Exhorta.* Ut omnes quærant regnum iſtud Dei ſupra alia omnia, juxta illud Chriſti: *primum quærite regnum Dei.* Suadet hoc non tantum felicitas eorum qui in hujus regni participationem admittuntur, ſed etiam miſeria omnium qui excluduntur: duo enim ſunt regna ſpiritualia, quorum alterius neceſſe eſt ut quilibet homo ſit ſubditus, regnum lucis, & regnum tenebrarum; regnum juſtitiæ ac gratiæ, & regnum peccati: regnum Dei & regnum diaboli, qui princeps dicitur hujus ſeculi. Omnes illi qui extra regnum Dei, gratiæ ac ſalutis remanent, neceſſario includuntur in regno diaboli, peccati, tenebrarum, & merito hoc accidit hominibus infidelibus & impœnitentibus ſecundum illam comminationem. Deut. 28. 45.

Docum. IX. *Quærendus eſt fidelibus non tantum introitus in regnum iſtud domini, ſed etiam amplus introitus & copioſus.*

Quadruplici ratione ſe habent homines erga regnum Dei. Quidam enim procul abſunt ab iſto regno: illi nempe de quibus Apoſtolus loquitur Eph. 2. 12. Qui ſunt abſque Chriſto, & abſque Deo, & abalienati à republica Iſraëlis, & extranei, quales ſunt omnes illi qui vel nihil intelligunt eorum quæ pertinent ad iſtud regnum, vel nihil curant, conſcientiam habentes quaſi cauterio reſectam, ut Apoſtolus loquitur. 1 Tim. 4. 2. Alii ſunt qui proprie accedunt ad regnum Dei, quamvis ejus non participes, qualis erat ille ſcriba de quo Chriſtus loquitur, Marci 12. 4. In quorum numero fuit Rex Agrippa. Act. 26. 28. Alii ingrediuntur in ipſum regnum per fidem & pœnitentiam Joh. 3. *Qui regenitus eſt, ille videt regnum Dei,* id eſt. ille intrat In regnum Dei Verſ. 5. alii verò qui eo nomine etiam ſunt maxime grati Deo; non tantum intrant, ſed amplè & copioſe intrant, ut hoc loco. Differentia talis eſt qualis reperitur inter eos qui fines alicujus regionis intrant, & eos qui peragrant & penetrant uſque ad intimas partes: vel qualis eſt inter eos qui diſciplinam aliquam in limine ſalutant, & eos qui myſteria ejus perdiſcunt & exercent. Confirmatur hoc documentum Col. 3. 15. 16. Huc ſpectat quod Chriſtus ſuis diſcipulis dicit Joh. 18 11. Col. 1. 9.

Ratio 1. Quia iſta ſpiritualia talia ſunt, ut nunquam poſſint excedere modum: nihil eſt in ipſis nimium.

II. Illam habent naturam ut exacuant excitentque deſiderium, in ut quiſquis guſtaverit eorum ſuavitatem magis adhuc ſatiari cupiat, uſque dum pervenerit ad perfectionem ſummam, ut videre eſt in eorum exemplis qui hoc nomine in ſacris Scripturis maximè laudantur.

Uſus I. *Increpationis & Condemnationis,* Adverſus eos quibus & profeſſio pietatis ſatis & perſatis eſſe videtur, qui metuunt ſibi ne ſint nimis pii, id eſt, ne ſint nimis beati, certum hoc eſt indicium animi carnalis.

II. *Exhortationis,* 1. Ad gratitudinem erga Deum quod non tantum admiſit nos quaſi in ſuburbia & portas hujus regni, ſed etiam expoſuit nobis quæ ſunt interiora & magis arcana. 2. Ad curam & diligentiam, ne contemptui vel neglectui habeamus

beamus tantam gratiam, sed de die in diem sedulo contendamus majores facere progressus in isto regno, quod tum demum fiet, si magis diligentes & religiosi fuerimus in exercitiis iis, quibus regnum illud promovetur.

Vers. 12. 13. 14. 15.

Quapropter non negligam vos de istis semper commonefacere; quamvis peritos & stabilitos in præsenti veritate.

Justum autem duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, expergefacere vos per submonitionem:

Quum sciam cito futurum ut deponam tabernaculum meum: sicut Dominus noster Jesus Christus declaravit mihi.

Sed & studebo ut subinde vos possitis post exitum meum, horum mentionem facere.

ANALYSIS.

IN prioribus verbis Apostolus reddiderat rationem exhortationis suæ, quare fuit à fidelibus omnibus amplectenda: in istis verbis reddit rationem ejusdem quare fuerit ab ipso erga illos usurpata, quæ ratio vim etiam habet occupationis, qua occurrit objectioni tacitæ modesta quadam excusatione, vel remotione causæ quam potuerant ipsi suspicari, quod nempè ipsos harum rerum admoneret tanquam imperitos aut instabiles. Hanc enim non esse causam ostendit illis verbis, *quamvis stabilitos in præsenti veritate.* Veras autem causas quibus adductus fuit ad exhortationem istam adhibendam varias adducit. 1. *Rat.* Commodum illud maximum quod ad ipsos perveniret ex istis officiis ad quæ hortatur. Indicatur ratio hæc particula illa causali, qua connectit hæc verba cum prioribus, *quapropter*, id est, propter ista commoda, quæ vos hac via percipietis, meum esse judicavi vos hunc in modum commonefacere. 2. *Rat.* quæ pendet à priori est studium illud quo ferebatur in omnem diligentiam in eorum commodis promovendis, indicatur illis verbis, *non negligam.* 3. *Rat.* petitur ab officio Apostoli, quod ipsa justitia hoc ab ipso postulavit illis verbis, *justum duco.* 4. *Rat.* ab opportunitate temporis quæ nunc adfuit & diu non permansura; quod nunc adfuit ostenditur illis verbis. *Quamdiu sum in hoc tabernaculo*; quod non diu permansura, illis, *Cum scio cito futurum ut deponam tabernaculum meum*, quod confirmatur testimonio Jesu Christi. 5. *Rat.* est à fructu quem possit istiusmodi exhortatio habere, qui fructus illustratur ab adjuncto temporis, quod non tantum vivente Petro, sed etiam post obitum illius utilis ipsis sit futurus ad memoriam, vers. 15.

Documenta.

Docum. I. *In exhortationibus & admonitionibus, non tantum videndum est ut rectum & justum sit quod dici-*

mus, ſed etiam ut recto animo à nobis dicatur, & ita etiam appareat illis quibuſcum agimus.

Colligitur ex ſcopo hujus textus.

Ratio 1. Ab officio noſtro, quod enim bonum eſt in ſeſe, fit malum nobis, & officium vertitur in peccatum, niſi benè quod bonum eſt agamus: ut ſiquis ex odio, ira, invidia, aut ex ſtudio infamandi, aut ex ſuperbia, admoneat proximum alicujus vitii, ut excitet ad officium faciendum.

II. Ab utilitate proximi vel fructu admonitionis vel exhortationis noſtræ. Pendet enim ſæpe ex animo vel modo agendi, qui maxime ſpectari ſolet in iſtiuſmodi officiis, ita ut vel aditum aperiant vel obſtaculum ponant quo minus admittatur à proximo.

Uſus Increpationis, In eos qui nunquam alios adhortantur niſi vindictæ cauſa, cum litigium aliquod excercent, & tum maxime ſibi placent in vitiis & affectibus aliorum arguendis, cum minime debēt. Cum autem debent, tum plane tacent.

Docum. II. *De illis debemus proximos commonefacere, quæ maxime faciunt ad eorum commodum.*

Colligitur ex illa particula, *propter hoc.*

Ratio. Quoniam admonitio & exhortatio ſua natura ſunt opera Charitatis ac tendunt in proximi bonum: in illos igitur maxima exercenda ſunt, à quibus magnum bonum poteſt expectari.

Uſus I. Increpationis, Adverſus eos qui ſtatim obſervant in iis, quos habent conjunctos, ſi quid præter decorum aut inciviliter agant, vel cum jactura honoris aut commodi externi, ſed de rebus ipſis, quæ maxime pertinent ad regnum Dei nihil omnino ſunt ſolliciti: illa negligi non debent, ſed hæc imprimis curari.

II. *Exhortationis*, Ut in iis rebus quæ pertinent ad regnum Dei & ſalutem animarum, maximam curam habeamus officii noſtri erga proximos. Huc pertinet illud quod dicitur à Petro, ſe non neglecturum, id eſt, ſe nunquam depoſiturum iſtarum rerum curam, quod quamvis ſingulariter pertinebat ad officium Petri Apoſtoli & aliorum verbi Miniſtrorum, proportione tamē extendendum ad commune officium omnium Chriſtianorum, quia rationes quibus nititur, ſunt maxima ex parte communes.

Docum. 3. *Ex juſtitia tenemur ad commonefactionis officium.*

Colligitur ex illis verbis, *juſtum duco*: quamvis enim non pertineat ad juſtitiam illam particularem, quæ verſatur in æqualitate accepti & redditi, dicitur tamen juſtitia, quia tam arctam habet obligationem, ac quicquam quod ex juſtitia debetur, *Rom.* 1. 14.

Uſus Increpationis, Adverſus eos qui cum in debitis ſolvendis negligentiam habent pro peccato, neglectum tamen hujus officii nihili faciunt.

Docum. IV. *Qui periti ſunt & etiam ſtabiliti in veritate, tamen opus habent admonitionibus & exhortationibus.*

Ex illis verbis, *quamvis peritos & ſtabilitos in veritate.*

Ratio I. Quoniam non adeo ſunt periti ac ſtabiliti, quin poſſint adhuc inſtituti ac ſtabiliti.

II. Quia ſi omnem haberent ſcientiam atque etiam fidem, voluntas

luntas tamen & affectus eorum debent his mediis excitari ad officium ſuum : Voluntas enim noſtra eſt inſtar ſervi tardi, cui non ſatis eſt ſemel audire mandata Domini ſui, ſed ſæpius debet ipſi inculcari. Si denique non tantum ſcientiam & fidem: ſed etiam voluntatem & affectus haberent promptiſſimos, quia tamen aſſiduis tentationibus petuntur, opus eſt ex adverſo ut aſſiduis commonefactionibus, confirmentur. Fortiſſimis militibus nonnulli animi adduntur ex oratione ducis & tubæ, & tubicinis ſonitu, & ſimilibus excitamentis.

Uſus I. *Increpat.* Ad arguendam ſuperbiam eorum hominum qui adeo ſibimet, ſuæ ſcientiæ ac fidei confidunt, ut ejuſmodi auxilia plane contemnant. Joh. 9. 24.

II. *Exhort.* Ut omnes aſſidui velint eſſe in concionibus audiendis. Si qui enim ſint qui ſcientia abundant & ſuperant, forſan ipſum concionatorem, ita ut non poſſint amplius ab eo inſtitui, poſſunt tamen excitari commonefactionibus, exhortationibus, & illa ratione debent ſemper adeſſe; multo vero magis illi qui nondum ſunt periti & ſtabiliti in veritate.

III. *Direct.* Tam concionatoribus quam auditoribus, ut non tantum veritatem doceant, ſed etiam verbum adferant exhortationis perpetuo, id eſt, applicent ad uſum veritatis quam tradunt; deinde ut hi non accedant ad conciones novitatis aut ſpeculationis avidi, ſed parati antea ad exhortationes & admonitiones recipiendas, & in praxin convertendas.

Docum. V. *Captanda eſt commoditas illa temporis, quam habemus ad iſtiuſmodi Chriſtianorum officia ſedulo exercenda.*

Colligitur ex illis verbis, *Quamdiu ſum in tabernaculo.* Gal. 6. 11. Joh. 9. 4. & 12. 35.

Uſus. Admonit. Ut non differamus tempus reſipiſcentiæ & obedientiæ. 2 Cor. 6. 2. Pſal. 95. 7. 8.

Docum. VI. *Quo propius accedamus ad finem vitæ, eo diligentiores debemus eſſe in officiis Chriſtianis.*

Colligitur ex ſequentibus, *Cum ſciam cito futurum ut deponam, &c.*

Uſus I. Exhortationis, Ut ſemper utamur diligentia, quia nunquam longe ſumus à depoſitione noſtri tabernaculi, quamvis enim expreſſe nobis non ſit declaratum ut Petro, quam citò ſit hoc futurum, tamen declaratum eſt citò futurum eſſe, & citius nobis poteſt accidere, quam ipſi Petro accidit, qui hanc epiſtolam ſcripſit.

Docum. VII. *Studere debemus in vita, ut fructus aliquis vitæ noſtræ manere poſſit in Eccleſia poſt obitum noſtrum.*

Colligitur ex verſ. 15.

Non poſſumus omnes, ut Petrus Eccleſiæ Scriptis prodeſſe : poſſumus tamen per Dei gratiam vel aliis conatibus, vel ſaltem exemplo efficere, ut aliquis gratus odor noſtri maneat in quorundam animis.

Uſus I. Damnationis. Eorum qui tam corrupte vivunt, ut etiam poſt obitum ſint ſcandalo omnibus qui eos noverunt.

II. *Exhortationis & Conſolationis,* Ut pie nos geramus dum vivimus, quoniam gloria Dei inde creſcit non tantum dum vivimus, ſed etiam poſt obitum noſtrum.

Vers. 16. 17. 18.

Non enim arte compositas fabulas sequuti, notum vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum, sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.

Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi à magnifica illa gloria, Hic est filius ille meus, dilectus ille in quo acquiesco:

Et hanc vocem nos audivimus è cælo delatam, cum essemus una cum eo in monte illo sancto.

ANALYSIS.

CONtinetur istis versibus ratio & causa eorum quæ antea dicta sunt, uti manifestum est ex illa causali particula *enim*. Dixerat autem antea. 1. Fidelibus omnibus adjiciendã esse fidei virtutem. 2. Se justam habere rationem quare tam serio excitaret eos ad istiusmodi studium, utriusque rationem & causam reddit hisce verbis, à certitudine illa, quæ rebus ipsis inest, & quam omnes fideles habere possunt de iis, quæ ipsis proposita sunt ad credendum. Certitudo hæc illustratur primò à dissimili, id est, à fabulis arte compositis, illis verbis *Arte*, &c. Secundò à Testimoniis Apostolorũ qui & oculati & auriti testes fuerunt harum rerum. Oculati hisce verbis, *quæ oculis nostris aspeximus*; auriti illis, *& hanc vocem nos audivimus*. Visus autem & auditus hic Apostolorum, in quibus est fundamentum testimonii, explicantur primò per sua objecta: Visus objectum fuit majestas Christi; Auditus objectum fuit de cœlo delata de Christo vox. Secundò à causa, quæ fuit Deus pater & ere & opere communicans Christo gloriam, vers. 17. Tertio à Circumstantiis temporis & loci, *cum essemus unà*, &c.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Fabulæ arte compositæ aliquando proponuntur in Ecclesia loco veritatis Dei.*

Hæc enim est ratio cur Apostolus amovet à sese istiusmodi fabularum suspicionem, quia non defuere tum temporis & postea multi futuri erant, qui istiusmodi nugas imponerent Ecclesiæ, 1 Cor. 2. 1. Ubi dicit *Paulus* se non venisse cum eminentiâ orationis, tacite perstringens Pseudo-Apostolos, & concionatores quosdam, qui nihil affectabant aliud præter eloquentiæ speciem. Sic hoc in loco *Petrus* fabularum facit mentionem propter tales impostores, 1 Tim. cap. 1. vers. 4. & 6. 4. Tit. 1. 4. Tales fabulæ fuerunt in Ecclesia Pontificia quæ continentur in Legendis aureis de Sancto Francisco, Dominico, & innumeris Divis ac Virginibus, cum miraculis ab ipsis patratis. Istiusmodi enim fabulæ proponi solebant olim populo loco verbi dei, atque adhuc etiam multis in locis pronuntiantur.

Usus

Usus I. Admonitionis, Ne respiciamus omnia quæ proponuntur sine examine: sic enim fabulas Evangelii loco possemus complecti.

II. *Exhortationis*, Ad gratias Deo agendas, quod nos in illis Ecclesiis vivimus ex quibus omnes ejusmodi aniles fabulæ prorsus removentur, & nihil proponitur præter syncerum Dei verbum.

Docum. II. *Omnes illi professores fidei qui non adjiciunt fidei virtutem, & omnes concionatores qui non eum zelo & constãtia excitant fideles ad studiũ virtutis maximo dedecore afficiunt Evangelium, quasi ejusdem naturæ esset cum fabulis arte compositis.*

Colligitur, ex connexione horum verborum cum antecedentibus, quæ in Analysi fuerunt explicata: Hæc enim est vis rationis Apostolicæ, si haberem veritatem Evangelii instar fabulæ arte compositæ, non possem cum summa constantia vos excitare ad eam amplectendam & ornandam, neque vos possetis sine studio pietatis recipere ea quæ diximus, nisi habeatis pro fabulis arte compositis.

Usus I. Admonitionis gravissimæ, ut omnes concionatores sibi caveant ab incuria & negligentia in excitando populo ad pietatem: & omnes etiam fideles caveant sibi à tepida & infructosa professione fidei. Neutrum enim fieri potest sine blasphemia quadam implicita & virtuali. Qui enim ita sese gerunt, quamvis non verbis, factis tamen confitentur & præ se ferunt, se non pluris evangelium facere quam aliquam fabulam anilem.

II. *Exhortationis*, Ut serio & omni collato studio sanctificemus quasi Evangelium Christi quod profitemur, & ostendamus vita nos longe aliter sentire de ejus natura quàm vulgus profanum.

Docum. III. *Evangelii summa consistit in potentia & adventu Christi declarando.*

Colligitur, ex illis verbis, *notum vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi adventum & potentiam.* Potentia enim respicit divinam Christi naturam cum suis effectis, Rom. 1. 4. Adventus respicit humanam ejus naturam, unà cum fine & fructu incarnationis. Si conjungantur ista duo, nempe quod Christus advenerit ad salvos nos faciendos, & venerit potenter, ita ut sufficiencia & efficacia omnis necessaria fuerit in ejus adventu, nihil quicquam amplius desiderari potest ad fidelium consolationem.

Usus I. Incitat. Ut centrum quasi omnium concionum ponatur in istâ potentia & adventu Christi. 1 Cor. 2. 2. atque proinde etiam ut auditores illud præcipuè spectent in concionibus audiendis, quando promoveri possint in hujus misterii perceptione.

II. Ut omnem obedientiam quam Deo præstamus ab ipso quasi fonte hauriamus. Quæcunque enim officia non fluunt à Christi potentia & adventu, non sunt Evangelica, sed inficiuntur hypocrisi, vel in civilitate consistunt.

Doc. IV. *Certitudo hujus Evangelii etiã humanitus tanta est, quanta potest haberi de rebus gestis & præteritis.*

Ex istis verbis: *aspeximus, audivimus.* Confirmatur enim testimonio eorum qui suis sensibus perceperunt qui omium confessione fuerant homines saltem fide digni, qui nullam rationem habuerunt aliter

teſtandi quam res ipſa fuit: quippe qui nullum commodum potuerint inde expectare ab hominibus: qui denique non ſimplici teſtimonio verborum, ſed vita etiam & ſanguine hoc nobis confirmatum reliquerunt: adeo ut humano modo æque certi poſſimus eſſe de Evangelio, atque aliquam monarchiam fuiſſe aliquando Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum: fuiſſe aliquando Duces, Comites hujus Hollandiæ; graſſatum aliquando hic fuiſſe ducem Albanum & ſimilia.

Uſus I. *Condemnationis*, In perverſitate hominum arguenda, qui cætera omnia facillime credunt, quamvis levioribus argumentis affirmantur. Evangelium autem ſalutis vix, aut ne vix quidem adduci poſſunt ut recipiant.

II. *Exhortationis*, Ut fidem noſtram iſtiuſmodi rationibus fulciamus, ad ſummam ejus πληροφορίαν, 1 Joh. 1.3,4. Quamvis enim noſmetipſi non vidimus iſta, debemus tamen eadem firmitate credere ac ſi oculis ipſi vidiſſemus, Joan. 20.29. pertinet hoc ad gratitudinem quam Deo debemus, quod non ſimpliciter voluerit nobis annunciare voluntatem, ſed etiam teſtimoniis confirmare, Luc. 1. 2. Hoc enim unum fuit inter ſingularia officia Apoſtolorum, ut illa teſtarentur quæ de Chriſto viderant, Act. 1.21.24.&c. 2. 32.

Docum. V. *Majeſtas magna fuit ſenſibus percepta ab Apoſtolis.*

Colligitur ex illis verbis, *aſpeximus illius Majeſtatem.* Mat. 17. 6. Tanta fuit iſta Majeſtas, ut diſcipuli non potuerint ferre. Petrum rapuit quaſi in exſtaſin. Marc 9.6.

Uſus I. *Inſtitutionis*, Ut concipiamus ex iſto ſpecimine quanta jam ſit Chriſti gloria & Majeſtas in cœlo, quanta ſit adhibenda in ultimo die & quanti etiam nos fiemus in vita futura.

II. *Exhortationis*, Ut Chriſtum colamus & ſequamur cum ſumma fiducia: non eſt quod pudeat nos tantæ Majeſtatis juxta illud, Si quem pudeat mei in hoc ſeculo adulteroſo, pudebit me illius coram Deo & angelis ejus.

Docum. VI. *Majeſtas hæc fuit illis Dei verbis expreſſa*, Hic eſt filius ille meus dilectus in quo acquieſco.

Continetur illis verbis & potentia & adventus Chriſti, de quibus teſtati ſunt Apoſtoli, & in quibus Evangelii ſumma continetur ut antea dictum fuit. Colligitur ex connexione verborum quam habent iſta cum prioribus, *notum fecimus &c.* In titulo etiam filii declaratur honor & gloria Chriſti, ubi dicitur, *ille meus filius*: in appellatione dilecti oſtenditur adventus Chriſti & finis ejus, nempe ut reconciliatos nos & dilectos Deo ſiſteret: unde dicitur *ille dilectus in quo acquieſco.* In filio præcipue notatur regnum Chriſti, in dilectionis acquieſcentia ſacerdotium notatur; & tertium illud quod adjicitur apud Matt. 17. 15. quo proprie notatur prophetia Chriſti: *Illum audite.* Et quod ibi exprimitur hic intelligitur ita, ut nihil ſit in Chriſto ac in Evangelio, quod non congrue poſſit ad pauca hæc verba revocari.

Uſus I. *Inſtitutionis*, ut ad fidem noſtram ædificandam in animis ſemper habeamus vocem iſtam divinam, idcirco enim bis fuit è cœlo delata,

delata, ſemel in Baptiſmo Chriſti, & ſemel in hac transfiguratione, quam ſpectat hoc loco Petrus: Omne Verbum Dei venit ex illo, ſed quædam ſunt ejus partes, quæ ſingulari quadam ratione, id eſt, immediate ſine ullo opere deferuntur ad homines. Talis fuit decalogus in Teſtamento Vet. talis fuit vox Johan. 12. 28. & talis fuit iſta vox bis repetita; ſicut enim magnificare debemus omne Dei Verbum ſic iſtiuſmodi ſermones ſunt ſingulariter obſervandi.

II. *Admonitionis*, ut ex Chriſto ſolo pendeamus, & ad ipſum ſolum confugiamus in iis, quæ pertinent ad ſalutem.

Ratio I. Quoniam iſtius teſtimonium de nullo alio unquam confirmatum fuit, præterquam de Chriſto.

II. In iſto teſtimonio potentia, honor & gloria ita tribuitur Chriſto, ut cæteris omnibus negetur, particula enim demonſtrativa *ille*, vim habet quoad omnes alios excluſivam.

Docum. VII. *Vox iſta Dei efficaciter deferebat Chriſto honorem & gloriam.*

Colligitur ex illis verbis: *Acceperat à Deo Patre gloriam & honorem, iſta voce ad eum delata.*

Ratio I. Quia teſtimonium Dei eſt infallibilis veritatis.

II. Conjunctam habet efficaciam omnipotentem, cum dicitur delata à magnifica illa gloria.

Uſus I. *Inſtitutionis*, ut fide acquieſcamus in omni Dei teſtimonio. Tam certum eſt enim quod Deus promittit, ut aliquo modo teſtatur, quàm certum eſt quod jam accepimus aut factum videmus. De hominum verbis poſſumus ſæpe dubitare, quia neque veritatem, neque potentiam habent perfectam: Dei autem magnifica gloria, cujus hic mentio fit, longe aliud poſtulat in nobis.

II. *Exhortationis*, ad fidei noſtræ confirmationem in oculis ſemper feramus magnificam Dei gloriam, qua poteſt & etiam vult efficere, quicquid dixerit.

Docum. VIII. *Adeo ſancta ſunt iſta quæ pertinent ad Chriſti regnum, ut locum ipſum in quo declarantur, faciant aliquo modo ſanctum.*

Colligitur ex illis verbis: *in monte ſancto.* Mons enim iſte non fuit ſanctus niſi per iſtam transfigurationem & vocem iſtam de cælo delatam. Exod. 3. 5. Joh. 6. 3.

Uſus I. *Increpationis*, adverſus eorum ſtupiditatem, qui nihil afficiuntur iſtiuſmodi rebus tam ſanctis.

II. *Exhortationis*, ut cum omni reverentia & religione præparemus nos, & applicemus animos ad exercitia ſacra, Eccleſiæ. v. ult. & 5. 1.

Verſ. 19. 20. & 21.

Et habemus firmiſſimum illum ſermonem propheticum: quem bene facitis quod attenditis, velut lucernam ſplendentem in obſcuro loco, uſque dum dies illuceſcerit, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris.

Si illud primum noveritis, nullam prophetiam Scripturæ eſſe propriæ explicationis.

Non enim libitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu Sancto loquuti ſunt ſancti Dei homines.

ANALYSIS.

PRobaverat antea Petrus certitudinem Evangelii teſtimonio Apoſtolorum, qui oculati & auriti teſtes ejus fuerant: probat nunc eandem certitudinem, à teſtimonio verbi prophetici; quod illuſtrat, 1. ab adjuncto firmitudinis, idque in comparatione ad Apoſtolorum teſtimonium, cujus reſpectu hoc verbum propheticum dicitur eſſe firmius. 2. Ab adjuncto officio, quod huic verbo prophetico debetur, nempe attentio religioſa, quæ debet ad illud verbum adhiberi. Quæ attentio declaratur: 1. A fine & uſu prophetici ſermonis, qui comparative explicatur per uſum lucernæ. 2. Explicatur attentio illa à cauſa adjuvante. 3. A fide & æſtimatione quæ debet haberi de Prophetia Scripturæ, verſ. 20.21. quod nempe ſit ex inſtinctu Spiritus Sancti, quod illuſtratur ab oppoſitis illis, nempe Prophetiis quæ ſunt propriæ explicationis, vel ex libitu hominis. Per prophetiam intelligitur earum rerum, quæ pendent ab aliquibus cauſis naturalibus, (ſic enim Aſtrologi & Medici poſſunt multa prædicere, quia ſunt cauſarum naturalium periti) neque earum rerum quæ pendent ex voluntate alicujus creaturæ, (ſic enim qui conſiliorum ejuſmodi ſunt conſcii, poſſunt multa cum probabilitate ſaltem prædicere) ſed prophetia eſt prædictio earum rerum, quæ ſolummodo pendent à voluntate Dei, atque à Deo ſolo poſſunt eſſe notæ, ac iis quibus ipſe revelavit. Per ſermonem propheticum intelligitur, Prophetia Scripturæ Sacræ, prout explicatur expreſſe, verſic. 20. quæ diſtinguitur hac ratione non tantum à falſis Prophetiis, ſed etiam ab aliis veris, quæ nunquam fuerunt in Canone Scripturæ.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Sermo Propheticus eſt firmius teſtimonium, quam quorumlibet hominum, & eorum quæ ſenſus ipſi noſtri poſſunt nobis præbere.*

Colligitur ex comapratione quæ hic inſtituitur inter hoc teſtimonium & antecedens. Dicitur autem firmius non verius, quia æquè verum fuit quod Apoſtoli teſtabantur, ſed eorum teſtimonium non tantam ferebat ſecum confirmationem veritatis illius.

Ratio I. Quod non adeo apparebat eſſe teſtimonium divinum, quippe quod nondum in Scripturis fuit expreſſum.

II. Quia non potuit tantum valere in animis Judæorum, atque ſermo Propheticus, qui multis jam ſeculis quaſi habitu fuit in eorum animis confirmatus.

III. Quia teſtimonium prævidentis veritatem plus habet in ſe divinæ operationis, quam ejus qui teſtatur quod præſens vidit aut audivit, Joh. 5.36.39. Tres ſunt ibi gradus teſtimoniorum. 1 Johannis, 2. Operum ipſorum Chriſti. 3. Scripturæ vel ſermonis Prophetici Teſtimonium

ſtimonium operum majus eſſe dicitur teſtimonio Johannis, & teſtimonium Scripturæ gradationis vi innuitur eſſe majus utroque.

Uſus I. *Inſtitutionis*, ut in omnibus iis quæ pertinent ad fidem & ſalutem noſtram pendeamus tantum ex Scripturis, quia nihil poteſt eſſe firmius.

II. *Exhortationis*, ad gratias Deo agendas, qui non tantum veritatem ſuam nobis notam fecit, ſed etiam firmis rationibus confirmavit, & ex omni parte proſpexit infirmitati fidei noſtræ.

III. *Increpationis*, adverſus hæſitationem illam, qua nimis laborant multi Chriſtiani circa haſce veritates. Apparet enim hæſitatio quædam animi, ubi vita eſt dubia, & incerta, & non firmiter inſtituitur ſecundum regulas Chriſti. Debemus autem nos ex Scripturis tam certi eſſe de rebus iſtis fidei, atque ſumus de iis quas oculis ipſi videmus in præſenti, & tam firmiter ac conſtanter pergere in via Chriſti, ac ſi jam oculis videremus Chriſtum ipſum, & illa omnia quæ nobis promiſit, vel acſi jam audiremus vocem illam: *Surgite mortui, & venite ad judicium.*

Docum. II. *Prophetia Vet. Teſt. firmiſſimum teſtimonium præbet Chriſti potentiæ & adventus.*

Colligitur ex relatione, quam habet verſus ille 19. ad v. 16. Luc. 1. 20. Act. 3. 18. 24. & 10. 43.

Ratio I. Magnitudo hujus myſterii quæ talis fuit, ut non debuerit ſubito mundo oſtendi, ſed antecedentibus iſtiuſmodi nunciis quaſi dignitatis gratia.

II. Ut magis appareret hæc à Deo provenire qui unicus autor fuit iſtiuſmodi prophetiarum.

III. Quia ſalus populi Dei pendebat ab initio mundi ex hujus myſterii fide.

Uſus I. *Inſtitutionis*, ut iſtiuſmodi argumentis confirmaremus fidem noſtram magis magiſque.

II. *Exhortationis*, ut in maximo pretio habeamus hoc myſterium, quoniam Deus ipſe ſemper tanti fecit, ut Prophetas ſuos voluerit ab initio mundi in ejus explicatione verſari.

III. *Admonitionis*, ut nunquam ſit nobis tædio audire, & meditari illa quæ pertinent ad hoc myſterium, cum Deus voluerit hoc ſemper ab omnibus ſuis Prophetis inculcari.

Docum. III. *Laudabile maximè eſt in Chriſtianis diligenter ſemper attendere ad prophetias & reliquam Scripturam.*

Colligitur ex his verbis: *Bene facitis quod attenditis.* Per *attendere* intelligitur 1. inquiſitio ſenſus Scripturæ aut veritatum quæ in ipſis continentur: 2. applicatio earum veritatum ad fines & uſus quibus inſerviunt: 3. religioſus animi affectus, quo ſubjicitur conſcientia iſtis veritatibus tanquam regulis fidei ac morum: Bene autem faciunt qui ſic attendunt Scripturis.

Ratio I. Quia Deo placet hæc obedientia.

II. Quia ſibimetipſis bene conſulunt, qua dirigi poſſunt ad felicitatem æternam.

Uſus I. *Refutationis*, adverſus Pontificios & alios quoſdam fanaticos, qui negant illos benefacere, qui attendunt ad Scripturas.

II. *Increpationis*, adverſus profanos

nos & mundanos homines, qui maxime attendunt ad commoda ſua terreſtria, aut ad voluptates carnales, ſed parum aut nihil ad Scripturas.

III. *Exhortationis*, ut excitemus indies in nobis hanc attentionis curam.

Docum. IV. *Scriptura eſt lucerna ſplendens iis qui ad eam religioſe attendunt.*

Colligitur ex illis verbis: *Attendite velut lucernam ſplendentem.* Dicitur autem lucerna & lux.

Ratio I. Quia eſt in ſeſe clara & manifeſta

II. Quia alia omnia clara ac manifeſta reddit.

III. Quia oculos noſtræ mentis etiam illuſtrat, ut myſteria cœleſtia regni Dei proſpicere poſſimus.

Uſus I. *Refutationis*, adverſus Pontificios, qui Scripturam accuſant obſcuritatis.

II. *Increpationis* ac *Damnationis* eorum, qui media hac luce verſantur, & nihil tamen amplius percipiunt de rebus Dei quam quaſi eſſent in tenebris.

III. *Exhortationis*, 1. ut gratias Deo agamus pro tanto beneficio. Sic enim Deus nobiſcum jam agit quemadmodum cum Iſraëlitis olim in quorum habitationibus lux erat, cum in tota terra Ægyptiorum extiterint tenebræ caliginoſæ, Exod. 10.22. 2. Ut ambulemus in hac luce, non dormiamus aut indulgeamus ullo modo operibus tenebrarum, ut habetur, Eph. 5.8.11.14.

Docum. V. *Totus ſtatus hujus vitæ noſtræ multum habet in ſeſe obſcuritatis.*

Colligitur ex illis verbis: *Lucerna ſplendens in obſcuro loco.* Explicatio horum verborum petatur ex Calvino.

Ratio Quia ſine luce Scripturarū ac fidei nihil ſumus niſi tenebræ, cùm iſta igitur lux imperfectà tantum nobis communicetur in hac vita, neceſſe eſt, ut adhuc maneat multum obſcuritatis.

Uſus I. *Admonitionis*, ne efferamus noſmetipſos ſcientiæ opinione, quaſi inflati, ſed humiliter agnoſcamus imperfectiones illas quibus laboramus.

II. *Exhortationis*, ut eò magis diligenter attendamus ad lucernam.

Docum. VI. *Attendendum eſt Scripturis uſque dum major lux ſit nobis communicata quàm poſſimus ex Scripturis haurire, id eſt, uſque ad ultimum terminum hujus vitæ.*

Colligitur ex illis verbis: *uſque dum dies illuxit.* Etſi maxime ſunt confirmati, debent tamen adhuc attendere ad Scripturas, v. 12. Daniel ipſe quamvis Propheta, attendebat ad prophetias Jeremiæ, Dan. 9. 2. Petrus ipſe attendebat ad Epiſtolas Pauli, c. 3. 15. Paulus ipſe maximam curam habebat membranarum, id eſt, voluminum ac librorum Scripturæ, 2 Tim. 4.13.

Uſus I. *Refutationis*, adverſus Anabaptiſtas quoſdam, qui Scripturas tantum utiles eſſe contendunt novitiis, ac incipientibus, non autem perfectioribus.

II. *Increpationis*, adverſus illos qui acquieſcunt in illa cognitione Scripturarum quam habent, & ulteriorem non quærunt.

Docum. VII. *Maxima ſcientia, lux & claritas communicabitur nobis in vita futura.*

Colligitur ex comparatione hac inter præſentem vitam & futuram:

In

In præsenti habemus lucernam quasi in obscuro loco, sed in futuro habebimus plenam quasi meridiem, 1 Cor. 13. 12.

Usus Exhortationis, ut avide cupiamus ad illam perfectionem pervenire, & interim exerceamus nos in iis quæ ad eam ducunt.

Docum. VIII. *Lectio Scripturæ non est salutaris, nisi fidelibus*

Colligitur ex illis verbis: *Si illud primum noveritis*, id est, credideritis, Ebr. 4. 2. Nullum effectum grande aut nobile producitur, nisi præparetur antea materia, vel objectum in quo debet produci: semen ipsum in terra sparsum non crescit, nisi terra arata vel occata sit. Præterea cum Scriptura vim habet testimonii, & testimonii firmitas pendet ex autoritate testis, nullam vim potest habere Scriptura nisi autoritas Dei in illa agnoscatur.

Usus Directionis, ut cum Scripturam legendam vel audiendam accedimus, elevemus semper animos nostros ad Deum, & excitemus in cordibus nostris veram fidem.

Docum IX. *Primum credibile sive principium credendi est, Scripturas non esse humanæ explicationis, sed divinæ revelationis.*

Colligitur ex his verbis: *Si illud primum noveritis.* Pontificii & alii nonnulli ex hoc loco colligunt interpretationem Scripturæ, non pertinere ad homines privatos, sed ad Ecclesiam, id est, Pontificem & Concilia ab ipso approbata, sed in hac sententia habent hunc locum sibi inimicissimum: Nam 1. non negatur hic Scripturas esse privatæ interpretationis, sed propriæ. Per propriam autem intelligitur humanam, quod satis apparet ex oppositione quam habet vers. 21. ita ut Prophetæ ipsi, quamvis publici fuerint Ecclesiæ doctores, tamen si ex semetipsis quicquam dixissent sine revelatione Dei, fuisset illa propria explicatio, unde etiam sequitur Pontificis Rom. interpretationem omnem, quam non ex apertis Scripturis haurit, vel revelatione aliqua extraordinaria, esse propriam eo sensu, quo hoc loco ista vox accipitur. 2. Per explicationem hujus loci non intelligitur interpretatio Scripturæ antea revelatæ, sed ipsa revelatio, sicut apparet ex vers. 21. ubi explicatio hæc in eo constituitur, quod Prophetæ acti à Spiritu Sancto locuti sunt suas Prophetias. 3. Petrus ipse qui Pontificiorum sententia tum temporis fuit caput Ecclesiæ, remittit hic fideles ad Scripturas scrutandas, non jubet ut à se pendeant, & quærant semper interpretationem. 4. Majorem firmitatem tribuit Scripturæ quam suo proprio testimonio. 5. Scripturam appellat lucernam, & statum Ecclesiæ locum obscurum: Pontificii ex adverso obscuritatem tribuunt Scripturæ, & claritatem Ecclesiæ. 6. Laudat fideles vulgares, quod attendant ad Scripturas his verbis: *Bene facitis.* Pontificii autem per hanc interpretationem deterrent fideles à Scripturæ lectione.

Usus I. *Refutationis*, adversus Pontificios, qui Ecclesiam anteponunt Scripturæ, & primum credibile esse dicunt, Ecclesiam non posse errare.

II. *Exhortationis*, ut solide & accurate figamus hoc fundamentum in cordibus nostris.

Doc. X. *Spiritus Sanctus agebat illos totos*

totos qui Scripturarum fuerunt autores.

Colligitur ex illis verbis: *Acti à Spiritu Sancto.*

Usus Institutionis, ut nos quæramus precibus assiduis auxilium Spiritus, & ad Scripturam intelligendam, & ad eandem etiam observandam. Eodem Spiritu debet intelligi Scriptura, quo fuit dictata, ut ait Hieronymus.

Docum. XI. *Homines, quibus spiritus usus est in Scriptura tradenda, fuerunt Sancti Dei homines.*

Sancti, quoniam & sanctificati fuerunt interne, & separati etiam ad opus hoc sanctissimum. *Homines Dei* fuerunt, quoniam & à Deo fuerunt vocati ad hoc munus, & Dei voluntatem declarabant, ad quem etiam homines perducere studebant.

Usus Exhortationis, ut similes illis esse studeamus pro nostro modulo, & in sanctitate, & in zelo Dei.

CAPUT II.

Vers. 1. 2. 3.

Fuerunt autem etiam pseudoprophetæ in populo: ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibiipsis celerem perniciem.

Et multi sequentur eorum exitia: per quos via veritatis blasphemabitur.

Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur.

ANALYSIS.

HActenus proposuit Apostolus exhortationem, & eandem etiam confirmavit in præcedenti cap: Sequentibus duobus munitam eam reddit, removendo opposita illa vel impedimenta, quibus hæc exhortatio potuit inanis reddi. Impedimenta vero præcipua sunt *falsi doctores*, & *profani illusores*, de illis agitur cap. 2. de his cap. 3. Falsos ergo doctores. 1. describit, 2. redarguit: describit usque ad illa verba in vers. 3. *quibus damnatio.* Deinde redarguit 1. generaliter illis verbis, *quod sint homines damnandi*, quod postea probat: 1. Ab usitato cursu justitiæ divinæ à vers. 4. ad 10. 2. Ab eorum meritis quibus justitiam Dei vindicantem sibimet accersunt, à vers. 10. ad finem capitis, In descriptione falsorum doctorum adhibetur 1. Comparatio similium inter pseudoprophetas & ipsos, qui pseudoprophetæ fuerunt in populo Israelitico, partim ut connecteret Apostolus istam dissertationem, cum antecedente, uti loquebatur de veris Prophetis, partim ut occurreret scandalo, quod posset oriri ab istiusmodi seductoribus: & partim ut eò magis excitari possent fideles, ut caverent ab eorum seductione. Primo respectu postrema verba prioris capitis, & hujus prima constituunt istiusmodi axioma discretum; Quamvis multi fuerint Prophetæ in

in veteri populo, qui ſancti Dei homines erant, & agebantur à Spiritu Sancto in iis quæ loquebantur: tamen in eodem etiam populo multi fuerunt pſeudoprophetæ. Hæc diſcretio indicatur illis verbis: *Fuerunt autem.* Secundo reſpectu conſtituunt hæc verba axioma copulatum ſic: Quemadmodum fuerunt pſeudoprophetæ inter Iſraelitas, ſic etiam inter eos erunt falſi doctores. Tertio reſpectu, innuitur & implicite continetur iſtiuſmodi axioma connexum: Inter vos erunt falſi doctores, quemadmodum inter populum Iſraeliticum fuerunt falſi Prophetæ, tum æquè ſollicite cavere debetis ab iſtis, ut Iſraelitæ commonebantur olim, ut ſibi caverent ab illis. Poſt deſcriptionem illam comparativam ſequitur abſoluta; in qua deſcribuntur falſi doctores à ſuis effectis. Effecta iſta vel immediate ſpectant iſtos falſos doctores, vel alios ſpectant per ipſos. Quæ ſpectant ipſos ſunt 1. Introductio hæreſium, quæ explicantur ab adjuncto ſuo, quod ſint *exitiales*, cujus etiam ratio redditur ab hæreſium natura, quæ talis eſſe dicitur, ut *abnegationem inferat Domini* 2. Effectum, quod iſto pacto *accerſunt ſibi celerem perniciem*: reſpectu aliorum effectum primum eſt, quod multos habitu ſint ſectatores, qui denotantur alio effecto hanc ſeductionem comitante, ſcilicet blaſphemia, quæ per illos redundabit in viam veritatis, vel Evangelii. Alterum eſt abuſus eorum quos ſeducunt ad quæſtum: qui abuſus illuſtratur ab adjuvante cauſa, nempè *fictis ſermonibus falſi doctores nunquam deſunt Eccleſiæ.*

Colligitur ex illis verbis, *fuerunt, erunt.*

Rationes triplici reſpectu nituntur; nempe 1. reſpectu Dei, 2. reſpectu diaboli, 3. reſpectu hominum.

Ratio I. Reſpectu Dei, 1. ut qui probi ſint in Eccleſia manifeſtentur, 1 Cor. 11. 16. Deut. 13. 3. 2. Ut obſtinati improbi pereant in impietate, & incredulitate ſua, 2 Theſ. 2. 10, 11, 12. 1. Reg. 22. 20, 21, 22.

II. Reſpectu Diaboli, quoniam ille ſemper eſt Pater mendacii, homicida, & invidus ille qui zizania ſpargit inter bona ſemina.

III. Reſpectu hominum, quoniam ſapientia carnis eſt inimicitia adverſus Deum ejuſque veritatem. Uſus hic ex intentione Apoſtoli duplex eſt.

Uſus I. *Admonitionis*, Ne ſcandalizemur, aut animo nimis perturbemur cum videmus hæreſes pullulantes in Eccleſia, cogitemus ut Apoſtolus, *fuerunt, erunt.*

II. Ut non cuivis ſpiritui credamus, ſed probemus an ſint ex Deo. 1 Joh. 4. 1.

Docum. II. *Omnis hæreſis habet ſibi adjunctum exitium.*

Colligitur ex illis verbis, *hæreſes exitii.* Quædam magis exitiales ſunt quam aliæ, ad exitium tamen omnes ſua natura tendunt. Opponuntur enim omnes viæ veritatis, cujus mentio fit v. 2. quæ via ſola ducit ad vitam. Quædam autem hæreſes ſunt quæ nullo modo conſiſtere poſſunt cum ſalute aut vita æterna. Hinc ejuſmodi opiniones per appropriationem vocantur hæreſes in Eccleſia, id eſt, opiniones plane exitiales. Eſt enim doctrina quædam obſervanda inter tenere errores,

Documenta.

Docum. I. *Pſeudo-Prophetæ &*

errores simplices in fide, & hæreses proprie dictas. In ipsis hæresibus etiam distinguendum inter hæresin materialem & formalem. Ad formalem enim hæresin per quam homo proprie dicitur hæreticus requiritur, præter errorem in iis quæ pertinent ad fundamenta religionis, reluctatio adversus lucem satis manifestatam, & pertinacia in illa reluctatione.

Usus Damnationis: Eorum qui tam parvi faciunt introductionem hæresium in Ecclesia, sub titulo pacis & charitatis. Omnia vellent admitti & tollerari quod perinde est, ac si ex pace & charitate exitium ipsum vellent admittere. Hæreses enim habent exitium conjunctum.

II. *Admonitionis multiplicis*, 1. Vt sedulo caveamus ne ullo pacto promoveamus ejusmodi hæreses. 2. Ne temerè aut levi de causa hæreticum quendam pronunciemus. 3. Ut sedulo caveamus nobis ab hæresibus tanquam ab exitio.

QUÆSTIO.

Quæst. I. In ratione quæ redditur hujus proprietatis hæresium, quod sint exitiales, quæstio movetur: Quid intelligatur per abnegationem Domini, *qui illos mercatus est abnegantes*. Multi enim ex isto loco colligunt omnes & singulos homines redemptos fuisse à Christo, quia dicitur hic etiam quod est mercatus flagitiosos istos hæreticos, sed varie respondetur.

Respons. I. Quod isti falsi Doctores fuerunt membra Ecclesiæ visibilis, atque adeo 1. habuerunt se pro hominibus redemptis à Christo, & professionem illam præ se ferebant. 2. Tales habendi erant ab hominibus dum in Ecclesia manebant, atque hac ratione possunt dici à Christo redempti: Sicut integras Ecclesias appellare solent Apostoli justificatas, sanctificatas, & electas: non est igitur eadem ratio omnium & singulorum hominum, quæ fuit horum.

Respons. II. Non agitur hic de Christo propriè, quà est redemptor, neque de ejus redemptione quam sanguine suo patravit, sed de illa assertione qua domini vel heri servos sibi adscíscere solent tanquam emptos, quod sic ostenditur: 1. Nulla mentio fit hoc in loco Christi Domini proprie, sed heri. Græce enim dicitur δεσπότης non κύριος. Hæc autem duo nomina aperte distinguuntur Judæ 4. vers. Ubi idem de iisdem falsis doctoribus dicitur. Dicuntur ibi dominum & herum suum abnegare, quamvis possit dici *herus*, non proprie dicitur *Dominus*. Deinde non dicitur Dominum omnes homines redemisse, sed tantum emisse, vel mercatum esse: quamvis autem verbo ἀγοράζειν aliquando eodem sensu usurpetur quo alterum non tamen semper hoc fit.

Resp. III. Comparatio hic aperte instituitur inter falsos Doctores & Pseudo-Prophetas, inter Ecclesiam visibilem & populum Israëliticum. Eodem enim sensu dicitur Dominum mercatũ esse eos homines, quo dicitur redimisse & liberasse totum populum Israeliticum, id est, sicut eos liberavit ex Ægypto, & sibimetipsi singulari quadam ratione asseruit, ut solenni fœdere essent ipsius servi: sic etiam omnes illos qui nomina sua dant Ecclesiæ, hac ratione dici potest emisse, ut herus,

ut

ut ipſi in perpetuum ſerviant. Abnegare Dominum eſt non agnoſcere Dominum vel Chriſtum pro Domino, Matt. 10. 32. 33. agnoſcere & abnegare inter ſeſe opponuntur, Luc. 12. 8. 9. Ratio, quoniam ſi ſemel eſt profeſſus nomen Domini & poſtea deſiſtit ab illa profeſſione, perinde facit, ac ſi plane negaret ſe ulterius ſervum eſſe illius Domini. Abnegatio enim hæc duplex eſt, vel verbalis, vel realis. Verbalis fuit in Petro, realis eſt omnibus qui poſt profeſſionem fidei factam redeunt ad vitam profanam, Prov. 9. 1 Tim. 5. 8. 2 Tim. 3. 5. Abnegatio hoc loco maxime proprie intelligitur de reali abnegatione. Deſcriptio enim horum hominum magis exprimit ſententias, & mores profanos, quam apertam renuntiationem Chriſti.

Docum. III. *Exitialis impietas eſt vel verbis vel factis abnegare Chriſtum.*

Ratio I. Quia Chriſtus hoc pacto maxima contumelia afficitur, poſtponitur enim hominibus, libidinibus noſtris, & ipſi Sathanæ, Marc. 8. 38. Ubi indignitas hujus peccati oſtenditur quod Chriſtus genti poſtponitur adultrici & peccatrici. Chriſtus etiam hoc pacto accuſatur iniquitatis. Nullus enim ſervus transfugere ſolet à Domino ſuo, ſi æquum Dominum agnoſcat, atque adeo ipſa fuga eſt quaſi profeſſio alicujus iniquitatis in Domino illo à quo fugit accuſandæ. Hinc illa conteſtatio Domini adverſus populum ſuum rebellem, quod ipſe æquus & benignus Dominus fuit, neque ipſi ulla deficiendi cauſa, Jerem. 2. 5. Mich. 6. 3. Deuteron. 32. 4.

Ratio eſt, quia Chriſtus comminatus eſt huic peccato ſummum judicium; cum dicit ſe iſtiuſmodi homines abnegaturum, quod pudebit ſe eorum coram Deo & angelis ejus: ut eſt in locis citatis.

Uſus I. Condemnationis, Non tantum adverſus apoſtatas manifeſtos, ſed etiam adverſus omnes illos qui cum profeſſione pietatis conjungunt vitam profanam, aut ab illa profeſſione divertunt. Gravius eſt horum hominum peccatum quam Turcarũ & infidelium eorum qui nunquam nomina dederunt Chriſto; quo propius enim quis ad Deum acceſſit, eo majori contumelia eius nomen afficit, ſi denuò deficit: qui Sathanam aliquo modo relinquens ſe Deo addixit, & poſtea denuo Deum deſerens Sathanæ ſe tradit, videtur quaſi cognito utroque Domino judicato pronunciare, illum eſſe meliorem cujus ſe eſſe mallet, id eſt, Sathanam.

II. *Admonitionis,* 1. Ut ſollicite caveamus nobis non tantum ab ipſo peccato exitiali, ſed etiam ab omni ejus ſpecie vel omni gradu, vel omni occaſione qua in iſtiuſmodi præcipitium poſſimus adduci. 2. Si ulla ex parte deflexi ſumus verſus iſtiuſmodi abominationem, ut mature revocemus noſipſos, & ſerio defleamus offenſam, ſicut Petrus fecit poſt abnegationem Chriſti, Matth. 26. 27.

Docum. IV. *Eſt in natura iſtiuſmodi poteſtati accerſere hominibus perniciem.*

Colligitur ex illis verbis, *accerſentes perniciem ſibi.*

Ratio. Quia peccatum reſpectu reatus conjuncti, vim quandam imperativam habet omnis mali: ſicut

fides

fides & preces à Deo impetrant omne bonum. hinc est quod peccata dicuntur clamare; dicuntur etiam trahere sibi pœnam, quasi funibus densis, Joh. 5.18. Dum enim homines trahunt istiusmodi funibus peccatum, trahunt etiam pœnam peccati, quæ est ei conjuncta.

Usus I. Admonitionis, Ut hac ratione caveamus nobis à peccatis.

II. *Exhortationis*, ut fide resipiscentia & precibus avertamus à nobis illam perniciem, quam peccata nobis accersunt.

Docum. V. *Pernicies quæ imminet graviter peccantibus celeriter accedit.*

Colligitur ex illis verbis, *celerem perniciem.*

Docum. VI. *Admodum proclives sunt homines ad errores amplectendos.*

Colligitur ex illis verbis, *Et multi sequentur.*

Ratio I. Propter tenebras illas quæ occupant mentes humanas, inde facile deduci possunt sub aliqua specie lucis.

II. Propter dispositionem quam habent à veritate alienam, inde facile amplectuntur illa quæ huic veritati adversantur.

III. Propter dispositionem illam quã habent consentientẽ cum errorũ natura. Habent enim peccatores in semetipsis ut omnium peccatorum, sic omnium errorum & hæresium semina, ut natura hominis corrupti tam facile admittat errores, quam fomes igniarius concipit ignem.

IV. Propter justum Dei judicium, quo in pænam aliorum peccatorum traduntur errorum efficaciæ. 2 Thes. 2. 10.

Usus I. Institutionis. Ad corruptionem & miseriam naturæ nostræ ostendendam, quam difficillime adducimur ad cœlestem ac salutarem veritatem amplectendam, & precipites ferimur ad exitiales errores?

II. *Admonitionis*, Ne nobis sit scandalo, si multos videamus deditos erroribus, quia ut fuit hoc ante prædictum ab Apostolo, & certam habet rationem: adeo ut non sit mirandum multos erroribus teneri, sed mirandum potius quemquam veritati credere.

III. *Exhortationis.* Primò ad humiliationem respectu hujus pronitatis ad malum. Secundò ad curam & cautelam ne illa prædomemur. Argumentum autem quo excitari possimus ac debemus ad istam curam, suppeditatur nobis in textu, dum illi qui hæreses sequuntur & hæreticos, sequi dicuntur eorum exitia. Non enim autores tantum hæresium in exitium ruunt, sed etiam sectatores, ut in loco Thess. ante citato. *In iis qui pereunt*, adeo ut sit signum exitii ab hæreticis seduci.

Docum. VII. *Errorum & hæresium fructus est blasphematio viæ veritatis.*

Colligitur ex illis verbis, *per quos via veritatis blasphemabitur.* Per *viam veritatis* intelligitur Evangelium, aut voluntas Dei in Scripturis revelata, quæ veram viam salutis ostendit. *Blasphemari* dicitur cum dignitas ejus læditur, maximè proprie verbis contumeliosis. Blasphemari dicitur *per hos*, scilicet per autores hæresium, & per eorum asseclas. Blasphematur autem duplici ratione per illos. 1. Cum ipsi contumeliose loquuntur ut Scribæ & Pha-

Phariſæi de Chriſto. 2. Dum occaſionem aliis præbent contumelioſe loquendi ut Iudæi fecerunt Gentilibus, Roman. 2. 24. utraque ratio videtur hic intelligi *per hos*, nam διὰ, ſignificat per & propter.

Uſus I. *Inſtitutionis*, Ut recte judicemus de natura peccati, quia nunquam gradum ſiſtit antequam produxerit homines ad blaſphemias erga Deum & viam Dei.

II. *Admonitionis*. 1. Ut hanc ob cauſam obſtemus principiis peccati, ne tandem perducamur etiam ad blaſphemiam adverſus Spiritum Sanctum, quod peccatum à Chriſto enunciatur irremiſibile. 2. Ut caveamus etiam ab illis hominibus qui aperte audent iniquo ore veritatem blaſphemare, in quorum numero ponendi ſunt, qui prædeſtinationis & prædeſtinatorum nomen audent irridere.

Docum. VIII. *Qui errores promovent ſub alio prætextu, quærunt ſæpe ſua propria commoda.*

Colligitur ex illis verbis, *per avaritiam, fictis ſermonibus.* Avaritia plerumque eſt hæreſium comes, plerumque mater, ſæpiſſime nutrix, ut in Pontificiis videre eſt.

Uſus Admonitionis, Primò ne credamus fictis ſermonibus hominum. Secundò caveamus nobis ab avaritia, quæ radix eſt, ut omnium malorum, ſic etiam hereſium.

Docum. IX. *Miſeranda eſt conditio hominum qui ab hereticis ſeducuntur: inſtar pecudum enim venum exponuntur.*

Colligitur ex illis verbis, *negotiabuntur vos.*

Verſ. tertius in fine.

——*Quibus damnatio jam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.*

ANALYSIS.

HActenus videmus deſcriptionem falſorum doctorum, & eorum peccata, ſequitur etiam eorum redargutio, aut pœna peccatorum eorum certo ipſis obventura. Pœna hæc explicatur, 1. Metonymice a cauſa, eo quod appellatur judicium, 2. ab effecto, eo quod appellatur exitium, 3. ab adjuncto celeritatis ac feſtinationis, quæ indicatur per negationem eorum quæ opponuntur celeritati. Generaliter autem opponitur tarditas vel otium; ſpecialiter dormitatio, quæ ponitur tanquam ſpecies otii vel inertiæ. Illuſtratur hæc celeritas pœnæ obvenientis ab adjuncto temporis, quod non nunc primùm inceperit feſtinare, ſed jam olim.

Documenta.

Docum. I. *Pœna peccati inſequitur peccatum.*

Colligitur ex connexione horum verborum cum antecedentibus; ibi fuit deſcriptio peccati, & hic ſtatim comminatio pœnæ ſequitur.

Uſus Admonitionis, Ut nunquam cogitemus de peccatis quin adjungamus etiam conſiderationem pœnæ quæ peccatis adjungitur.

Docum. II. *Pœna hæc provenit ex justo Dei judicio, ex eo quod hic appellatur judicium.*

Deus enim ut Judex totius terræ sententiam fert de peccatis hominum, executio illius sententiæ dicitur pœna. Fert autem sententiam secundum jus & legem sanctissimam, atque idcirco pœna quam Deus infligit proprio sensu dicitur judicium.

Usus Refutationis, Primò adversus profanos homines qui existimant illa mala quibus homines premuntur & publica & privata fortuito evenire. Secundò adversus eos qui conqueri solent de malis quibus premuntur, quasi Deus inique cum illis ageret, Gen. 18.25. Deut. 32.4.

Usus II. *Admonitionis*, Ut in reverentia ac timore Dei perpetuo ambulemus, quoniam in ejus conspectu vivimus qui exercet judicium.

Docum. III. *Judicium istud Dei peccatoribus exitium adfert, id est, privationem omnis boni, quod pertinet ad felicitatem vel ad bene esse hominis, & sensum omnis miseriæ qua ipsum esse redditur ingratum & acerbum.*

Usus Admonitionis, Ut cum timore fugiamus peccatum, ac Dei faciem quæramus.

Docum. IV. *Exitium hoc celeriter obvenit peccatoribus.*

Ratio I. Quia longe ante eorum expectationem accedit.

II. Quia non differtur ultra tempus quod est aptissimum, & à Deo constitutum, atque eo respectu dicitur *non otiari.*

III. Quia nullo impedimento retardatur, sed ex Dei misericordia & longanimitate prolatatur, eo respectu dicitur *non dormitare*, quoniam dormitatio & somnus est ligamentum mentis, & impedimentum adfert actionibus.

IV. Quia jam antea via fit & paratur huic exitio.

V. Quia exitium ipsum quamvis non sentitur sæpe ab impiis, apprehendit tamen ipsos & spiritualiter in animis & conscientiis eorum operatur.

Usus I. *Condemnationis*, Adversus eos qui peccatis indulgent, vel quia vindictam tarde putant venturam, vel quia sperant impunitatem, Eccle. 8. 10, 11, 12. Genes. 24. 7. Deut. 29. 9.

II. *Admonitionis*, Ut celerem resipiscentiam agamus de peccatis, non otiando nec dormitando.

Docum. V. *In istis omnibus quæ pertinent ad judicium erga peccatores, sicut & in aliis rebus, Deus nihil facit subito, sed omnia habet prævisa, præmeditata, præparata.*

Colligitur ex adjuncto temporis, *jam olim*, Jud. 4. vers.

Versus 4.

Nam si Deus Angelis qui peccaverunt non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit damnationi servatos:

ANALYSIS.

PRobat jam Apostolus quòd antea posuerat de pœna falsis doctoribus adventura. Conclusio hujus argumentationis, 1. generaliter proponitur

nitur de omnibus impiis vers. 9. Ibi enim est pars consequens axiomatis illius connexi, cujus antecedens incipit ver. 4. & indicatur connexione, *Si*. Ut *si Deus Angelis* &c. Tum postea Specialiter de his ipsis falsis doctoribus & eorum assectis. ver. 10. In generali conclusione, versic. 9. non simpliciter statuit damnationem impiorum, sed conjungit etiam axiomate copulato liberationem piorum à tentatione ipia, quæ oritur ipsis ratione impiorum. Ratio, quia propositum sibi habuit Apostolus ita redarguere impios, ut pios interim consolari posset, & confirmare adversus omnes tentationes quibus obnoxii fuerunt ratione improborum. In antecedente parte hujus argumentationis tria ponuntur argumenta, quæ sunt totidem exempla & Dei judicia adversus impios, & tres possunt constituere Syllogismos ad unam & eandem conclusionem probandam. Exemplum primum est de Angelis Apostatis, vers. 4. Secundum de prisco mundo, vers. 5. Tertium de civitatibus Sodoma & Gomorrha. Syllogismi sunt connexi, primi modi: Si *Deus non pepercit Angelis, neque mundo prisco, neque Sodomæ & Gomorrhæ, tum non parcet istis falsis doctoribus, neque similibus impiis hominibus*; *Sed verum prius, ex Scripturæ testimonio*: *Ergo*. Ista exempla respectu generalis conclusionis, quæ habetur, vers. 9. rationem habent specierum ad suum genus. Respectu autem specialis conclusionis quæ habetur, vers. 10. rationem habent comparatorum partim similium, partim majorum. Similitudo in eo est, sicut Deus damnavit illos peccatores, ita etiam damnabit istos. Imparitas in eo versatur. Si non pepercit præstantissimis creaturis, id est, angelis, neque integro mundo, neque civitatibus; tum multo minus parcet istis falsis doctoribus.

Documenta.

Docum. I. *Judicia Dei quæ exercuit ab initio mundi, constituta sunt ut essent exemplaria nostra.*

Quod aperte colligitur ex tota hac argumentatione & aperte docetur, vers. 6. 1 Cor. 10. 6. typi, id est, exempla: quod etiam apparet ex vers. 11. à quo sensu verborum Beza & alii aberrant. *Ratio* hujus veritatis est immutabilis Dei natura, & constans justitia, qua sibi semper similis est non tantum internè & in sese, sed etiam externe quoad nos in dispensatione pœnarum & præmiorum, si substantia Dei spectetur. Hinc est quod isto argumento pii & confirmantur in sua spe, Isa. 59. 1. & 81. 1. & 9, 10. atque etiam certi redduntur de perditione omnium suorum hostium, & eorum omnium qui dant operam impietati.

Usus I. *Institutionis*, Ut ita legamus historiam Sacram, non ut legimus historias prophanas & fabulas, vel delectationis causa, vel eruditionis in scientia temporum & rerum gestarum, sed ut monita divina perpetuo observemus & applicemus ad proprium nostrum usum.

II. *Admonitionis*, Ne fallamus nosmetipsos, quasi privilegium habeamus peccandi supra alios homines, vel quasi Deus non tam severè nobiscum ageret, si maneremus in peccatis, atque egit olim cum illis quos perdidit: aliorum nocumenta debent esse nostra documenta In

exemplo primo habemus primo objectum Judicii divini, *Angeli peccantes*. 2. Modum quo versatur circa hoc objectum, *si non pepercit iis*. 3. Gradum hujus Judicii præsentem & futurum: præsentem, quod sint externæ damnationi adjudicati, & asservati. Peccatum Angelorum in Scripturis particulariter non explicatur, quia non adeo pertinet ad nostram ædificationem ac salutem, Angelorum peccata noscere, atque nostra propria. In genere docemur, quod non conservarint suam originem Judæ 6. v. id est, deseruerunt Judicium & stationem illam in qua à Deo fuerunt collocati, & postea adversus homines invidiam, mendacia & homicidium exercuerunt ab initio. Docemur etiam quod magnus sit numerus eorum qui participes fuerunt hujus defectionis, inde est quod Apostolus hic loquitur in plurali numero. Dicuntur detrusi in Tartarum propter commutationem status, quoniam ex altissima conditione, quam per creationem acceperunt, dejecti sunt in infimam. 2. Propter commutationem loci, quia ex loco beatitudinis, ubi circa Dei solium cum cæteris Angelis versabantur, deturbati sunt in inferiorem locum peccato & miseriæ aptum. Quod vero locus iste sit in infimis partibus terræ, quod Pontificii statuunt, id ex Scripturis non potest ostendi, sed potius contrarium: dicuntur enim in aere versari & dominari, & terram ipsam obambulare, quærentes hominum subversionem. Illud saltem ex Scripturis liquet, & non nimis curiosis sufficere debet: 1. Quod status commutationem magnam patiantur. 2. Quod domicilio suo primo sint excluſi. 3. Quod sint in illo loco ubi pœnam damni, & pœnam etiam sensus percipiant. Tradi dicuntur caligini, partim respectu peccati, partim respectu miseriæ. Tenebræ enim in Scripturis utramque denotant, catenis dicuntur *tradi*, translatione sumpta à damnatis facinorosis, qui in carcere vinculis continentur constricti. Catenæ autem istæ sunt: 1. Obfirmatio vel obduratio in peccatis. 2. Desperatio omnis liberationis. 3. Terribilis expectatio externæ miseriæ, cujus mentio fit Ebr. 10. 27. 4. Providentia Dei, quæ advigilat semper ipsorum custodiæ ac pœnæ. Servari dicuntur damnationi, quia istis malis ita constringuntur, ut nunquam possint effugere, & tamen hæc sunt initia tantum malorum, quæ adhuc debent subire.

Docum. II. *Nulla dignitas est quæ eximere potest peccatorem à judicio Dei.*

Colligitur ex natura Angelorum.

Ratio I. Quia dignitas peccatum non minuit, sed auget: nam qui multum accepit, multum, debet & ab eo multum postulatur.

Usus Admonitionis, ne confidant homines istiusmodi arundineis baculis.

Docum. III. *Severitas illa debetur peccatis, ut non percatur peccatoribus.*

Colligitur ex illis verbis: *non pepercit.*

Ratio I. Quia peccatores semper abutuntur Dei bonitate.

II. Non parcunt Dei gloriæ, sed sibimetipsis.

Usus I. *Institutionis*, ut gratiæ ac misericordiæ Dei adscribamus quod nobis hactenus pepercit.

II. *Exhor-*

II. *Exhortationis*, ut non contemnamus hanc tolerantiam Dei, ſed reducamur per eam ad reſipiſcentiam, Rom. 2. 4.

Docum. IV. *Per peccatum detruditur peccator ex loco & ſtatu quem antea obtinebat.*

Colligitur ex iſtis verbis: *In tartarum detruſos.*

Ratio Quia peccatum eſt averſio à Deo: Sicut autem communio, quam habemus cum Deo, facit nos aſcendere in ſtatum ſublimem, & in cœlum ipſum, ita ut habeamus converſionem in cœlis, ut eſt Phil. 3. 20. ſic etiam averſio facit nos deſcendere, donec ad ipſum tartarum perveniamus.

Uſus Admonitionis, ut non fidamus diabolo, neque noſtris propriis imaginationibus, quaſi bonum aliquod acquireremus unquam peccando. Sic enim primi noſtri parentes fuerunt decepti; cum putarent ſe ſimiles fore Deo per peccatum, facti ſunt ſimiles diabolo.

Docum. V. *Tenebras peccati ſequuntur tenebræ miſeriæ.*

Colligitur ex illis verbis: *Tradidit catenis caliginis.*

Ratio Quia eadem eſt lux qua dirigimur, & qua perficimur, privatio igitur perfectionis & beatitudinis ſequitur privationem directionis.

Uſus Admonitionis, ut in luce ſemper ambulemus, ut filii lucis, ſi tenebras extremas vitare cupiamus.

Docum. VI. *Peccatores in peccatis ac miſeria ſua, quaſi vinculis detinentur.*

Colligitur ex illo: *Catenis.*

Ratio Quia ipſa peccata ſunt laquei diaboli, 2 Tim. 2. ultimo, Thren. 14. hac de re ſunt aliæ rationes in explicatione.

Uſus Admonitionis, ut liberationem à peccatis mature precemur, quod tum fiet, cum ſerio confugimus ad Chriſtum, qui captivis dimiſſionem adfert, Luc. 4. 18.

Docum. VII. *Extrema pœna peccatorum differtur in extremum Dei judicium.*

Uſus Inſtitutionis, ne quis ſibimet ex eo placeat quod gravia patitur in hoc mundo, quaſi idcirco liber evaderet in mundo futuro, quæ eſt miſeranda conſolatio quorundam.

Verſus quintus.

Et priſco mundo non pepercit, ſed octavum Noe, juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvio in mundum impiorum inducto.

ANALYSIS.

SEcundum & tertium exemplum juſtitiæ Dei erga peccatores non nudè proponitur, ut primum, ſed illuſtratur à diverſis, vel ab exemplis miſericordiæ Dei, quam ſimul erga pios exercuit dum perdidit impios. Ratio, ut aptè poſſet inferri utraque pars concluſionis, quæ habetur verſ. 9. ubi liberatio piorum ſimul conjungitur cum impiorum perditione. In priori horum exemplorum ſtatuitur: 1. Objectum juſtitiæ Dei materialiter *priſcus mundus*, quod magis formaliter ex-

plicatur ab adjuncto impietatis, unde dicitur *mundus impiorum*. 2. Illustratur etiam hæc justitia ab instrumento ejus, nempe *diluvio in mundum impiorum inducto*. Objectum misericordiæ Dei statuitur *Noah cum ejus familia*: qui describuntur 1. à paucitate, id est, numero, quo familia ejus continebatur, qui dicitur *octavus* numerus. Hunc enim sensum ostendit Petrus cap. 3. 20. prioris Epistolæ. 2. Describitur ab effecto quod fuit *præco justitiæ*. Non enim officium aut munus hic laudatur, sed actus & exercitium hujus muneris. Officium enim cum multis habuit commune, sed exercitium sibi proprium.

Documenta.

Docum. I. *Multitudo peccantium non impedit justitiam Dei, quo minus exardescat in eorum peccata.*

Colligitur ex hoc: *Non pepercit toti mundo.* Sicut enim dignitas prius spectabatur in Angelis, sic etiam multitudo nunc in mundo.

Ratio I. Quia multitudo non minuit, sed auget potius reatum peccati, & magis implet ejus mensuram, ut in proverbio dicitur: Qui exemplo peccat, bis peccat: Sic qui multis exemplis peccat multoties peccat, si res recte perpendatur. Ut si quis alium videat cadentem in lubrica via, & non in eo magis sibimet cavet, sed in eodem loco & simili plane modo labitur, multo magis accusatur ab omnibus, quam si solus aut prius cecidisset: sic etiam est in istis.

II. Quia multitudo illa quæ nobis videtur magnum quid, quasi obsistere possit iræ Dei, coram Deo est instar aquæ, quæ cadit de situla.

Usus Admonitionis, ne sequamur multitudinem ad malum faciendum, Exod. 25. 2. Eò magis necessaria est hæc admonitio, quia nimis proclives sumus omnes ad multitudinis viam ingrediendam, quod vitium etiam nobis rationibus quibusdam quasi confirmatur.

I. Quia oculi multi plus præsumuntur videre quam unus, unde vox populi sæpe admittitur pro voce Dei.

II. Quia examinis labor minus difficilis videtur, & fere impossibilis.

III. Quia quod omnes faciunt impune fieri solet inter homines, & nos simile quid de Deo concipimus.

IV. Quia qui non sequitur, multitudinem sibi comparabit inimicorum ac osorum.

Ratio verò adversa, quæ omnibus istis præponderat, est illa Christi, Matth. 7. 13. Ad primam rationem seu objectionem respondendum est: Unum oculum videntis plus percipere, quam oculos mille cæcos. Mundus vel multitudo mundi est excæcata: Unus ergo Christianus qui habet oculum mentis à Spiritu illustratum, & sequitur lumen veri divini, plus potest videre quam ingens aliorum multitudo.

Ad 2. Objectionem respondendum: Examinis officium incumbere omnibus & singulis. Opus est non tantum quà sunt Christiani, & habent hoc à Christo præscriptum, ut probent omnia & teneant quod bonum est, sed etiam quà sunt homines. Non est enim humanum sed belluinum antecedentium gregem

gem ſequi abſque judicio.

Ad 3. Obj. reſpondendum: Dei vias non eſſe ſicut vias hominum. Homines multis indulgent ex ignorantia, ex impotentia, ex metu & ſimilibus imperfectionibus quæ Deo non conveniunt.

Ad 4. Obj. reſpondendum: Si Deus nobiſcum quis contra nos?

Docum. II. *Creaturæ quæ ſunt nobis maxime neceſſariæ & utiles, per peccatum nobis reddantur inimicæ & otioſæ.*

Colligitur ex diluvio aquarum quod perdidit priſcum mundum. Aquis autem nihil eſt nobis magis neceſſarium & utile.

Ratio. Quia creaturæ ſunt ſervi & exercitus Dei, atque adeo pendent ex ejus arbitrio, nutu, & imperio quoad bellum & pacem, Hoſ. 2.18.

Uſus I. *Admonitionis*, ut eò magis caveamus nobis à peccatis.

II. *Inſtitutionis*, ut ſi velimus verum aliquod ſolatium habere à creaturis, fundamentum ejus ponamus in reconciliatione noſtra cum Deo.

Docum. III. *Deus in medio judiciorum adverſus impios, eſt miſericors erga pios.*

Colligitur ex eo, quod cum perderet mundum cuſtodiverit Noachum.

Ratio Quia Deus non ex impetu iræ aut furoris exercet judicium, prout homines ſæpe ſolent, ſed ex conſilio perfectiſſimæ Sapientiæ.

Uſus I. *Inſtitutionis*, ne fortunæ vel caſui adſcribamus illa, quæ nobis aut aliis in iſto genere contingunt.

II. *Conſolationis*, quoniam in mundo omnium periculorum & judiciorum, poſſumus confugere ad Dei miſericordiam.

Docum. IV. *Pauci ſolent eſſe pii in mundo.*

Colligitur ex eo, quod Noah dicitur octavus piorum, vel potius poteſt dici ſeptimus, quia Cham fuit maledictus.

Ratio I. Reſpectu Dei, quoniam paucis communicat iſtam gratiam, ut benignitas & miſericordia ejus erga illos magis appareat abundans.

II. Reſpectu cauſarum ſecundarum & ipſius rei naturæ, quia quod difficillimum eſt, & ſummæ curæ ac perfectionis, non ſolent niſi in paucis inveniri. Bona naturæ ſunt omnibus communia, artis & induſtriæ paucioribus, bona gratiæ paucißimis. Plures ſunt boni ſartores quam boni medici; plures ſunt boni medici, quam boni reges. Eò pertinet quod illud habet ſummam perfectionem, quod paucis datur.

Uſus I. *Admonitionis*, ut eò magis ſtudeamus electionem & vocationem noſtram firmam efficere.

II. *Exhortationis*, ad gratitudinem erga Deum, qui participes nos fecit illius felicitatis, quam paucis concedit.

Docum. V. *Omnes pii qui volunt miſericordiæ Dei participes fieri, debent eſſe præcones juſtitiæ, velut Noah.*

Prædicatur autem juſtitia non tantum verbis, ſed etiam factis. Sic enim dici ſolet, res ipſa loquitur non lingua tantum, Phil. 2.15, 16.

Ratio Quia nemo juſtitiam Dei vindicativam poteſt effugere, niſi juſtitiam ab ipſo præſcriptam ſequi & promovere ſtudeat.

Uſus I. *Condemnationis*, & *Increpationis*

pationis eorum, qui ſunt potius præcones injuſtitiæ, quàm juſtitiæ.

II. *Exhortationis*, ut magis magiſque excitemus noſmetipſos ad hujus officii curam.

Verſ. 6. 7. 8.

Et civitates Sodomorum ac Gomorrhæ in cinerem redactas ſubverſione damnavit, conſtituitque ut eſſent exemplar impie victuris:

Et juſtum Lot laſciva nefariorum converſatione fatigatum eripuit.

Fuſtus enim ille, quum habitaret inter eos, indies animam juſtam ſceleratis illorum factis, & videndo & audiendo excruciabat.)

ANALYSIS.

HIs verſiculis continetur tertium exemplum quod eandem habet rationem & partitionem cum ſecundo. Hic enim agitur de judicio Dei in impios, & miſericordia Dei erga pios. Judicii objectum ſunt civitates Gomorrhæ & Sodomorum, modus eſt per ignem: innuitur his verbis: *In cinerem redactis:* gradus eſt, in completa ſubverſione: finis & uſus eſt, in admonitione impie victurorum. Sunt enim ejuſmodi judicia exemplaria non impiæ vitæ, ſed condemnationis quæ imminet impie viventibus, atque adeo ſunt exemplaria moventia homines, non ut ſimiliter agant, ſed ut caveant ſibi ne ſimiliter agendo ſimilia etiam patiantur.

Documenta.

Docum. I. *Nulla ſocietas hominum aut politia poteſt impedire judicium Dei, quod imminet peccatis.*

Sicut enim in primo exemplo ſpectabatur dignitas angelorum, in ſecundo multitudo hominum, ſic etiam in hoc loco Societas & Politia, atque adeo emphaticè inſignitæ civitates Sodoma & Gomorrha. Fuerunt enim civitates in politiam redactæ, habuerunt reges, Gen. 14. 2. Proponitur & probatur hoc documentum Prov. 10. 25. & 16. 5. repetitur.

Ratio Quia non minuitur peccati reatus, ſed augetur ratione ſocietatum, ſi faveant peccatis: pervertunt enim finem ad quem ſunt inſtitutæ. Cum enim finis omnium ſocietatum ſit cohibere peccatum, & promovere juſtitiam, 1 Tim. 2. 2. & illi ex contrario fovent peccatum, & juſtitiæ adverſantur, magis irritant iram Dei, quam ſi non eſſent tales ſocietates. Peccatum harum civitatum dicitur grave & clamans, Gen. 18. 20.

Uſus Admonitionis, ne vel cives vel magiſtratus nimis confidant ſuis opibus, ita ut audaciores inde reddantur ad peccandum.

Docum. II. *Eadem judicia Dei exercentur per contrarias plane cauſas.*

Colligitur ex eo, quod cum priſcus mundus fuit everſus per aquam, civitates illæ per ignem everſæ fuerunt.

Uſus Admonitionis, ne peccatores ideo ſeſe tutos putent, quia unum judicium

judicium effugerunt, dum enim longissime absunt ab uno malo, imminent ipsis alterum, Amos. 5.19.

Docum. III. *Extrema judicia sequuntur extrema peccata.*

Colligitur ex eo: quod hæc fuit extrema subversio, propterea quod hæ civitates impleverunt mensuram peccatorum.

Ratio A proportione quæ intercedit inter peccatum & peccati pœnam.

Usus Admonitionis, si peccatum non possimus omnino evitare, progressum tamen & persistentiam in peccatis cum tremore ac timore fugiamus.

Docum. IV. *Qui sunt aliis exempla peccati, erunt illis etiam exempla judicii.*

Colligitur ex illis verbis: *Ut esset exemplar.*

Usus I. *Admonitionis*, ut eo magis caveamus, ne simus aliis scandalo, vel exemplo in peccatis.

II. Ut proficiamus in pietate per exempla judiciorum Dei adversus peccata. Ille enim est eorum usus & finis, Amos 4.12.

Alterum membrum ANALYSIOS.

MIsericordiæ objectum statuitur Loth, qui describitur: 1. Ab adjuncto, quod fuerit justus. 2. Ab effecto, quod fatigatam animam habuerit impietate nefariorum, quod latius explicatur v. 8. 1. A causa interna, quæ fuit justitia ipsius. 2. A causa externa, quæ fuit eorum impietas. 3. A mediis quibus illa causa externa, vel objectum excitabat illud effectum. Hæc autem fuerunt sensus audiendi & videndi. 4. Ab occasione, quæ fuit habitatio ejus inter eos. 5. Ab adjuncto temporis, quod fuit perpetuum. 6. A gradu, qui fuit summus, ac si equuleo fuisset impositus, excruciabat, Græcè ἐβασάνιζεν.

Præter illa quæ communia Loth habet cum exemplo Noe, hæc sunt observanda.

Documenta.

Docum. I. *Justi vel injusti æstimantur homines coram Deo, non tam ex uno aliquo facto, quam ex perpetuo vitæ tenore.*

Colligitur ex eo, quod Loth appellatur hic *justus*, cujus tamen gravissimum peccatum in Scripturis commemoratur. Qui enim in Scripturis dicuntur justi, vel sic vocantur respectu imputationis Christi justitiæ, vel respectu particularis alicujus causæ quam habent justam, vel respectu illius justitiæ inhærentis, quæ quamvis sit imperfecta, est tamen sincera & Deo grata.

Usus 1. *Refutationis*, adversus Pontificios & alios, qui quamprimum legunt in Scripturis justum quemquam vocari, statim concludunt hominem posse totam legem observare, & suis meritis consistere coram Deo.

II. *Consolationis*, erga pios qui aliquando ex infirmitate labuntur. Si enim perpetuo studio id agant, ut Deo placeant, Deus etiam ex misericordia

miſericordia habet illos inter juſtos.

Docum. II. *Juſtiſſimi homines reperiuntur aliquando in medio nefariorum.*

Colligitur ex eo, quod juſtus Loth habitavit inter Sodomitas.

Uſus I. *Refutationis*, adverſus eos, qui ſua peccata rejiciunt in alios quibuſcum vivunt, quaſi ipſi non poſſent eſſe pii, quia alii ſunt impii.

II. *Exhortationis*, ut confirmemus animos noſtros adverſus nequitiam ſeculi & locorum vel hominum inter quos vivimus. Sicut enim ille ſervus optime meretur de domino ſuo, qui ipſi adhæret, cum ab omnibus aliis deſeritur, ſic etiam Deo ſunt gratiſſimi, qui ipſi adhærent; cum cæteri omnes, non tantum eum deſerunt, ſed etiam adverſantur, Gen. 6. 8. 9.

Docum. III. *Juſti tamen dum inter impios dolore vivunt afficiuntur propter eorum impietatem.*

Colligitur ex Pſal. 119. 158. Act. 17. 16.

Ratio Quia cum impii homines gloriam Dei, & aliorum ſalutem maxime cupiant, & curæ habeant, non poſſunt non contriſtari cum utramque videant inſuper, nihili fieri aut haberi.

Uſus I. *Condemnationis* 1. adverſus eos, qui nullo conſortio adeo delectantur, atque impiorum hominum. 2. adverſus eos, qui non commoventur ſuis propriis peccatis, nedum alienis.

II. *Inſtitutionis*, ut judicium hinc faciamus de nobiſmetipſis in converſatione illa, quam habemus cum maiis. Si enim jſtuſmodi affectu commoveamur, tum ſignum eſt conſcientiæ bonæ.

Verſus nonus.

Novit Dominus pios è tentatione eripere, injuſtos autem in diem judicii pœnas dantes ſervare.

ANALYSIS.

HÆc eſt concluſio generalis, cujus præmiſſas exempla priora conſtituunt, ac diſponitur in axiomate copulato, cujus prior pars eſt de miſericordia Dei, & poſterior de juſtitia. Ratio hujus ordinis eſt obſervanda, quæ duplex poteſt inſtitui 1. Quoniam ultimo in loco de miſericordia egerat in præmiſſis, idcirco ut connexio ſit aperta, primum locum ipſi concedit in Concluſione, & cum poſtea prolixius ſit acturus de impiis, idcirco ultimo loco mentionem facit juſtitiæ Dei erga ipſos. Ratio talis concipi poteſt ordinis, quod Apoſtolus idcirco primo concludit Dei miſericordiam erga pios, qui primarium ejus propoſitum fuit conſolari & munire pios. Miſericordiæ objectum ſunt pii. Actus & effectus ejus eſt, eripere è tentatione. Juſtitiæ objectum ſunt impii. Actus & effectus ejus, ſervare illos in diem judicii. Cujus ſervationis modus adjicitur, ut ita ſerventur ut interim pœnas dent. Cauſa & ratio horum actuum & effectuum, tam miſericordiæ, quam juſtitiæ, eſt Dei ſapientia vel ſcientia conjuncta cum

ejus

ejus voluntate : ſicut judicantur voce illa primâ, *novit Dominus.*

Documenta.

Docum. I. *Opus habemus argumentis variis ad confirmandam noſtram fidem de miſericordia, & juſtitia Dei.*

Colligitur ex eo, quod tam ſollicitè hic concludit Apoſtolus, & tam multis argumentis.

Ratio 1. Quia fides non eſt ut ſcientia & ſenſus, ita ut certitudinem habeat plane evidentem, quæ omnem hæſitationem excludat, ſed aliquid habet obſcuritatis in objecto, atque adeo hæſitationem variam admittit, quæ argumentis iſtiuſmodi debet removeri.

II. Imperfectio fidei noſtræ, quæ debet iſtis rationibus juvari.

III. Multitudo objectionum & tentationum, quæ pugnant adverſus hanc fidem.

Uſus I. *Increpationis*, adverſus eorum ſecuritatem & præſumptionem, qui nihil indigentiæ hujus generis ſentiunt.

II. *Admonitionis*, ut in omni ſtudio, & omnibus argumentis conquiſitis ædificemus noſmetipſos in hac fide.

Docum. II. *Qui vere ſunt juſti, ita ut vaſa ſint miſericordiæ Dei, ſunt etiam pii.*

Colligitur ex eo quod hic appellantur pii, qui antea in exemplo Noachi & Lothi vocati ſunt juſti.

Ratio Quia nulla juſtitia Deo poteſt eſſe grata, quæ non refertur ad ipſum & ejus honorem, hoc autem non alia ratione fit quam per pietatem.

Uſus Admonitionis, Ut in nulla juſtitia acquieſcamus aut nobismetipſis placeamus quæ ſeparatur à vera pietate erga Deum.

Docum. III. *Stimulus omnis mali pœnæ cui obnoxii ſunt homines in hac vita eſt tentatio.*

Ex eo quod liberatio à tentatione hic ponitur pro liberatione ab omni malo.

Ratio Quia afflictio aut miſeriæ hujus vitæ tantum incommodum adferunt illa ratione ac prout in nobis ſunt occaſiones aut motivæ peccandi. Illa eſt enim natura tentationis cujus hic fit mentio, ut inducat homines ad peccatum.

Uſus I. *Admonitionis*, Ut magis caveamus nobis à tentatione quæ ineſt malis, quam ab ipſis malis.

II. *Inſtitutionis* Ut recte judicemus de miſericordia Dei erga pios, quamvis enim non eripiuntur ſtatim ex afflictionibus ipſis, ſi tamen eripiuntur ex earum tentatione, magnam experiuntur Dei miſericordiam.

Docum. IV. *Deus optime novit omnia præſtare quæ promiſit piis vel comminatus eſt impiis.*

Uſus Admonitionis, Ne judicemus de eventu harum rerum, vel de ſucceſſu piorum vel impiorum, ſecundum ea quæ nos videmus, ſed referamus hæc omnia ad Dei notitiam ac ſapientiam, acquieſcentes in eorum fide quæ promiſit.

Verſus decimus.

Maxime vero eos qui carnem ſequentes, in cupiditate pollutionis incedunt, & dominatum contemnunt, qui, inquam, ut ſunt *audaces, & ſibi pertinaciter placentes, non horrent dignitates probris inceſſere.*

ANALYSIS.

CONtinetur hoc verſu concluſio particularis prioris argumentationis, quia particulariter accommodat ad falſos doctores illius ſeculi, quod generaliter affirmaverat de injuſtis, verſ. 9. idcirco connectitur hæc concluſio particularis cum illa generali non ſimplici copula, ſed per modum gradationis à minori ad majus, ut indicatur primâ illa vocula *maxime vero*, ac ſi diceret: Omnes quidem injuſtos pœnas daturos, illos verò maximè certò, & maxime graves qui tales ſunt quales hic deſcribuntur falſi Doctores. Deſcribuntur autem tum generaliter tum particulariter. Generaliter ab effectu ambulationis vel inceſſus improbi, illis verbis, *qui incedunt.* Cujus effecti indicatur primò cauſa principalis quæ eſt, *caro.* 2. Cauſa adminiſtrans vel proxima quæ eſt, *cupiditas illius carnis*, id eſt, vitioſi motus & inclinationes depravatæ illius naturæ: quæ illuſtratur ab effecto ſuo proprio pollutionis, quoniam motus carnis labem & maculam infert ſpiritualem animis hominum, ita ut inquinatos & pollutos illos reddat coram Deo. Deſcriptio particularis eſt à particulari peccato quæ eſt contemptus legitimæ autoritatis; quod peccatum ab effectu ſuo illuſtratur, id eſt, quod ex contemptu probris inceſſant dignitates, cujus effecti modi adjuncti oſtenduntur, quod faciant hoc cum audacia & cum αὐθάδει.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Quamvis omnes peccatores jure metuere poſſint judicium Dei, quidam tamen ſunt qui magis certo poſſunt expectare ſeveritatem illius judicii.*

Colligitur ex illis verbis, *maxime vero illos.*

Ratio Propter proportionem illam quæ ſervatur inter peccata & pœnas eorum. Illi autem qui maximè certo poſſunt expectare hanc ſeveritatem judicii, illi ſunt imprimis qui maxime dediti ſunt illis peccatis, quibus celerem perniciem accerſi hominibus in Scripturis legimus.

Uſus Admonitionis, Ut maximè nobis caveamus ab illis peccatis quæ maximè accelerant damnationem.

Docum. II. *Nullum unum peccatum tam grave eſt, quam incedere, & ambulare in viis peccatoris.*

Colligitur ex iis verbis: *Maximè vero qui incedunt.*

Ratio I. Quia actus peccati non adeo damnat atque habitus peccandi, ſicut ex adverſo; habitus alicujus virtutis multo magis commendat hominem quam ſingularis aliquis actus, quamvis ſit optimæ notæ.

II. Quia

2. Quia qui insistit in viâ peccandi ille peccatis suis adjungit impœnitentiam : impœnitentia autem magis damnat quam ullum peccatum, quia nulla ratio est effugiendi iram Dei quam per pœnitentiam.

Usus 1. *Condemnationis*, Adversus eos qui sibimetipsis in eo placent, quod non sint patricidæ, homicidæ, adulteri, latrones, cum interim incedunt & insistunt in via aliorum peccatorum, qui Dei cultum vel contemnunt, vel negligunt fidem, spem, charitatem & similes virtutes plane nesciunt.

2. *Admonitionis*, Ut caveamus nobismetipsis per maturam & quotidianam resipiscentiam, ne incedamus in peccatis, quamvis non possimus abstinere ab omni peccato. Non tam peccatores, quam peccati operatores Deo invisi sunt.

Docum. III. *In omnibus hominibus dum sunt in isthoc mundo est causa quædam instigans & sollicitans ad peccatum.*

Colligitur ex eo quod caro hic ponitur tanquam principium omnium illorum peccatorum, quibus dediti fuerunt isti improbi. Caro autem vocatur quia æque late se extendit atque caro vel corpus humanum dum carnaliter sese habet, atq; adeo omnibus & singulis hominibus communiter & sine ulla exceptione inest. Probatur primò ad Gal. 5. 17. Iac. 1. 14. Matth. 15. 19. Secundò ratione etiam & experientiâ confirmatur, quia cum nullum adest objectum externum, aut persuasio qua possimus ad peccandum induci, sentimus tamen ex nobismetipsis illas scintillulas exurgentes, quæ totum hominem accendunt, nisi mature extinguantur.

Usus 1. *Institutionis*, 1. Ad refutandum eorum somnium, qui perfectionem quandam sibi imaginantur in vita præsenti. 2. Ad refutandum Pontificios qui concupiscentiam post Baptismum negant formaliter esse peccatum. Quod enim sua natura producit peccatum necesse est ut habeat naturam peccati. Quale enim effectum talis causa.

2. *Admonitionis*, Ut caveamus nobis sedulo non tantum ab externis irritamentis, quibus induci possimus in tentationes, sed etiam à nobismetipsis & à nostris propriis cordibus, inde enim maxime imminet nobis periculum.

Docum. IV. *Peccatum non tantum consistit in factis & verbis externis, sed etiam in internis illis cupiditatibus & affectibus qui pugnant cum lege Dei.*

Ratio 1. Deducitur ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus Deus dicitur Spiritus, & maximè curare spiritum & cor hominis.

2. Ex illis locis quibus peccata dicuntur ex corde provenire, Matth. 15. 19. Non potest enim peccatum alia ratione provenire ex corde, nisi mediantibus ejusmodi vitiosis cupiditatibus cordis.

3. Ex expressis Verbis Dei, Gen. 6, 5. & 8. 21.

4. Ostenditur idem à contrariis, quoniam interni illi affectus hominum, qui boni sunt, maxime Deo placent. Necesse est ergo ipsi pari modo displiceant affectus, & cupiditates malæ. Amplificatio hujus veritatis inde peti potest, quod in externis factis & verbis nullum proprie sit peccatum, nisi qua dependent ab interno cordis affectu. Si enim aliter se

res

res haberet, tum cogi quis posset ad peccandum, quod est plane alienum a veritate, & à sensu communi.

Usus Refutationis & *Condemnationis* eorum, qui parum aut nihil solliciti sunt de suis cogitationibus aut affectibus internis, modo externa dicta factaque possint ullo modo excusare.

II. *Admonitionis*, ut invigilemus idcirco nostris internis affectibus & cogitationibus. Hoc enim proprium est veri Christiani. Qui externi sunt Christiani curant externa tantum, qui intus & in corde verentur Deum, non minus solliciti sunt de internis quam externis.

Docum. V. *Peccata hujus generis, sicut cætera etiam, polluunt hominem*

Quædam peccata dicuntur singulari quadam ratione polluere hominem, illa nempe, quæ pertinent ad illicitam illam carnis conjunctionem, & incurrunt in decimum præceptum.

Ratio Quia sua natura etiam pollutionem afferunt corpori & personæ hominis. Sed omnia peccata polluunt etiam animam hominis, quia labem aut maculam post se relinquunt, quatenus animum peccatoris deformem reddunt, & minus Deo gratum, Matth. 15.20. Hoc est quod olim significatum fuit in lege ceremoniali, per omnes illas immunditias, separationes, lotiones, purgationes, quæ tam frequenter occurrunt apud Mosen. Hoc idem etiam est, quod nobis indicatur in Baptismo.

Usus I. *Condemnationis* eorum, qui non tantum delectantur suis peccatis, sed etiam de iis videntur superbire, ac si de proprio suo stercore gloriarentur.

II. *Admonitionis*, ut hinc discamus magis magisque ab omni peccato abhorrere, tanquam à re turpissima & maxime detestanda. Præter pollutionem illam generalem, quæ communis est omni peccato, videtur hic Apostolus innuere pollutionem illam specialem, quæ est in lascivia, ut apparet ex vers. 14. 18. sed hac de re postea dabitur commodior agendi locus.

Docum. VI. *Gravissimum est peccatum contemnere dominatum vel superiorem legitimam potestatem.*

Confirmatur Rom. 13. 1, 2.

Ratio I. Quia illi qui contemnunt potestatem legitimam contemnunt ordinationem Dei. Est ratio Apostoli in eodem loco. Quamvis enim singularem nullam Politiæ formam præscripsit hominibus Deus, constituit tamen ut esset certa aliqua gubernandi ratio, atque adeo omnem potestatem approbat, quæ non adversatur naturæ, vel voluntati ejus revelatæ.

II. Quoniam istiusmodi contemptus adversatur bono communi, & tendit in perturbationem societatis humanæ.

III. Quia occasionem præbet, & omnia quasi facit cæterorum omnium peccatorum inundationi. Hæc enim est ratio cur superiorum autoritas primo secundæ tabulæ præcepto sancitur, quoniam illa spreta vel neglecta cætera omnia non tantum secundæ, sed etiam primæ tabulæ, quoad media quæ humanitus valent, destituuntur planè suis munimentis.

Usus I. Ad *Refutationem* Anabaptistarum, qui vestigia premunt hujusmodi hæreticorum, dum civilem magistratum alienum planè statuunt

ſtatuunt à religione Chriſtiana.

II. *Increpationis*, adverſus eos, qui quamvis verbis fateantur poteſtatem, iſtiuſmodi factis tamen repugnant, neque ulterius reſpiciunt, quam pro ſuis libidinibus facit.

Docum. VII. *Contemptus effectum eſt, probris aliquem inceſſere.*

Ratio Quoniam probra & contumeliæ proveniunt propriè ex ſuperbia, qua quis ſemetipſum digniorem & præſtantiorem altero judicat. Aliàs enim non poſſet alterum contumelia afficere, quin ſemetipſum eadem etiam involveret. Contemptus eſt ſuperbiæ filia & mater iſtiuſmodi nepotum.

Uſus I. *Admonitionis*, ut abſtineant omnes Chriſtiani à probris & contumeliis. Nemo enim eſt qui auſit affirmare licitum ſibi eſſe contemnere ſuum fratrem.

II. *Admonitionis*, ut caveamus nobis à ſuperbia & contemptu aliorum, ſi nolimus prorumpere in talia peccata, quæ tam indigna ſunt homine Chriſtiano.

Quæſtio. An non liceat aliquando acerbius arguere hominum peccata.

Reſpouſ. Licere hoc probatur ex probata praxi Prophetarum, & ipſius etiam Chriſti, ſed in iſtis cautelis: 1. Ut manifeſtum ſit illud peccatum quod arguimus. 2. Ut convitium ita dirigatur, ut vitio potius fiat quam homini. 3. Ut charitatis manifeſtatio ſimul adſit. 4. Ut privatis noſtris injuriis ad iſtam vehementiam non præcipuè commoveamur, ſed zelo quo ferimur erga Dei gloriam & aliorum ſalutem.

Docum. VIII. *Inter eas peccati circumſtantias nulla eſt qua magis augetur, quam pertinaci audacia & complacentia.*

Colligitur ex illis verbis: *Audaces ſibi placentes &c.*

Ratio I. Quia ſunt indicia voluntatis pleno conſenſu peccantis.

II. Sunt indicia conſcientiæ cauteriatæ.

III. Maxime contrariantur reſipiſcentiæ.

Uſus I. *Condemnationis* eorum, qui hoc ſibi laudi ducunt, quòd ad omnia facinora ſunt audaces, neque homines, neque Deum ipſum metuunt, ſicut dicitur de injuſto judice in Evangelio.

II. *Admonitionis*, ut quamvis ab omni peccato non poſſimus plane abſtinere, caveamus tamen ne placeamus nobis in ullo peccato neque pertinaciter unquam, aut audacter in eo perſiſtamus

Verſus undecimus.

Quum ipſi Angeli, qui ſunt viribus ac potentia majores, non ferant adverſus eos apud Dominum maledictionis judicium.

ANALYSIS.

UT aggravet Apoſtolus peccatum illud, quod prioribus verbis impegerat falſis doctoribus, comparationem inſtituit inter ipſos & Angelos, qualis etiam inſtituitur inter verſ. 9. & 10. In iſta autem compa-

comparatione duplex continetur dissimilitudo, conditionis nempe & actionum : Conditionis quoniam Angeli sunt potentes & excelsi, isti vero homines fuerunt humiles & abjecti. Actionum, quod Angeli abstinebant à judicio maledictionis adversus dignitates, isti vero homines eidem maxime indulgebant. Prior dissimilitudo explicatur per formam imparitatis majorum & minorum, quoniam est quidem maxima imparitas, sed ista dissimilitudo oritur ex imparitate. Utraque pars comparationis disponitur, quasi axiomate discreto in hunc sensum. Quamvis Angeli potentia superant istas dignitates, tamen istis non maledicunt, sed isti homines quamvis sint ipsis potestate longè inferiores, non verentur tamen illis maledicere.

De priori parte comparationis duæ quæstiones possunt moveri.

Quæst. 1. Quo sensu Angeli dicantur viribus ac potentia majores ?

Resp. Dicuntur Angeli viribus ac potentia majores, non tam respectu falsorum doctorum, quam respectu ipsarum dignitatum de quibus hic agitur. Ratio, non solummodo quia excellentioris naturæ sunt quam homines; sed etiam quia præficiuntur hominibus à Deo, & in mandatis habent, Politiis, rebuspublicis, atque adeo dignitatibus invigilare. Unde sæpius in Scripturis appellantur Dominationes, Ephes. 1. 21.

Quæst. 2. Quomodo hoc verum sit, quod non ferant adversus dignitates maledictionis judicium, cum Deus tamen illis aliquando maledicat, & Angelos constituat suæ maledictionis executores ?

Resp. Dicuntur abstinere à judicio maledictionis : 1. Quia non maledicunt nisi Deo præsente, atque adeo non est tam maledictio eorum, quam Dei. 2. Quamvis maledicant hominibus in dignitate positis, & malè etiam faciant aliquando, sicut videmus in exemplo Herodis, & in exercitu Senacheribis, non tamen maledicunt ipsis dignitatibus, quod fuit peccatum horum impostorum, de quibus agit Apostolus.

Documenta.

Docum. I. *Gravius peccant illi, qui sunt humilioris conditionis si superbiant adversus dignitates, quam si in altiori gradu ponerentur.*

Hoc est fundamentum Apostolicæ comparationis. Alias enim nihil faceret ad exaggerandum peccatum istorum hominum.

Ratio 1. Quia ille magis peccat, qui ex leviori occasione, aut minori tentatione inducitur ad peccandum.

2. Quia tales homines non commoventur istis rationibus, quibus possunt ac debent abstrahi à tali peccato admittendo, quæ aliis eodem modo non suppetunt.

Usus Damnationis, ad abjectissimorum quorundam mores damnandos, qui etiam in illa vitæ conditione æquè superbiunt, & magis etiam aliquando, quam qui sunt in altissimo gradu dignitatis.

Docum. II. *Angeli sunt omnibus hominibus potentia majores.*

Usus ad *Consolationem* fidelium, quorum cura singularis committitur Angelis à Deo, ita ut dicantur circa illos castrametari.

Docum. III. *Potentes isti Angeli religiosissimè abstinent ab omni peccato.*

Quod

Quod enim hic in ſpecie dicitur, intelligendum etiam eſt in genere.

Uſus Admonitionis, ut nos igitur eò magis ſollicite caveamus nobis à peccatis; & quia æquè ſaltem lege tenemur, atque illi, & etiam quoniam alias non poſſumus bonos iſtos, & potentes Dei miniſtros habere nobis faventes.

Verſus duodecimus.

At iſti, veluti animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, ſua ipſorum corruptela interibunt:

ANALYSIS.

REdditio vel altera pars comparationis continetur iſto verſu, quo peccatum falſorum doctorum dominatum contemnentium & blaſphemantium, exaggeratur nova comparatione ſimilium, ita ut iſto verſu ſit ſimul redditio diſſimilitudinis, & integra etiam ſimilitudo ſuis partibus explicata. Propoſitio hujus ſimilitudinis continet deſcriptionem naturalium brutorum: redditio continet deſcriptionem falſorum doctorum, ſecundum illas qualitates quas habent proportione cum illis animalibus brutis. Deſcriptio brutorum tria continet: 1. Internam eorum naturam quæ negatione exprimitur, quod ſint *Rationis expertia*. 2. Actus aut operationes eorum, quæ procedere dicuntur, non à conſilio, ſed ab *impetu*. 3. Finem vel exitium eorum, quod *capta intereunt*. Iſtis tria etiam reſpondent in falſis doctoribus: 1. Quod ſint judicii expertes, *ignorant*. 2. Quod pravo impetu ferantur ad blaſphemandum, *vituperantes quæ ignorant*. 3. Quòd interitum ſibi accerſunt: *ſua ipſorum corruptela interibunt*.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Peccatum ubi dominatur convertit hominem quaſi in brutum.*

Oſtenditur hoc omnibus illis Scripturæ locis, ubi homines improbi comparantur brutis, vel in genere vel in ſpecie, equis, mulis, canibus, porcis, vulpibus, lupis, urſis, leonibus, &c. imò qui in maxima veneratione & exiſtimatione habentur in hoc mundo, non alio loco ſunt apud Deum quàm brutum. Monarchæ apud Danielem, comparantur ſemper feris animalibus; & imperatores Romani, qui perſequebantur Eccleſiam draconis nomine deſignantur in Apocalypſi. Pontifex autem Romanus non tantum beſtia vocatur, ſed deſcribitur quaſi maximum monſtrum inter beſtias, cum ſeptem capitibus, & decem cornibus.

Uſus 1. *Condemnationis* eorum, qui placent ſibimetipſis in ſuis peccatis.

2. *Admonitionis*, ut eo magis nobis caveamus à peccatis, ne tandem cum Nebuchadnezare de ſumma gloria in abjectiſſimam ſortem detrudamur.

Docum. II. *Fons omnis hujusmodi peccati ac miſeriæ eſt defectus recti ac ſpiritualis judicii.*

Uſus Admonitionis, ut diligenter ergo incumbamus precibus & aliis

mediis, quæ à Deo ſunt ſanctificata ad mentem illuminandam, & ſanam cuſtodiendam.

Docum. III. *Signum iſtiuſmodi ſtatus, id eſt, hominis bruteſcentis, eſt impetum corruptæ naturæ ſequi ſine ratione.*

Uſus Convictionis & Condemnationis multorum, qui videntur ſibi viri præſtantes.

Docum. IV. *Iſtiuſmodi homines corrumpunt etiam quicquid naturalis bonitatis habent in ſeſe.*

Ex illa voce *corruptela*, prout explicatur Iudæ, v. 10.

Uſus Admonitionis, ut deteſtemur ergo ejuſmodi mores.

Docum. V. *Involvuntur peccatores ejusmodi in ſuis peccatis, & detinentur ad interitum, ſicut bruta laqueis, quibus capiuntur.*

2 Tim. 2. 26. Lament. 1. 14.

Uſus Admonitionis, ut fugiamus corruptelas tanquam laqueos mortis æternæ.

Verſ. 13. & 14.

Reportaturi mercedem injuſtitiæ, ut qui voluptatem ducant diurnum luxum, labes ac maculæ, ſeductionibus ſuis ſeſe oblectantes, vobiſcum convivando.

Oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando ceſſare neſciant, ineſcantes animas inſtabiles, cor habentes ad avaritiam exercitatum, execrandi homines:

ANALYSIS.

POſt illam deſcriptionem horum hominum, quæ tribus antecedentibus verſibus fuit expoſita, repetitur denuo in initio verſ. 13. juſta illa pœna quam expectare debent, *reportabunt mercedem injuſtitiæ.* Deinde nova ſubjicitur deſcriptio eorundem hominum, ut magis ſi fieri poſſit, immiteſcant. Deſcribuntur autem à tribus præcipuè vitiis, 1. A luxu cui indulgebant. 2. Ab impudicitia. 3. Ab avaritia. Luxus eorum explicatur & exaggeratur: 1. Ab adjuncto voluptatis. 2. Ab adjuncto temporis, quod fuerit diurnus. 3. Ab effectu quod hac ratione ut labes & maculæ inquinabant, non tantum ſemetipſos, ſed etiam alios quibuſcum verſabantur. Cujus etiam effecti cauſa ſtatuitur in alio effecto, quod cum iſto luxu ſeductio fuit conjuncta. Luxuria eorum deſcribitur: 1. A cauſis adjuvantibus vel inſtrumentis, illis verbis: *Oculos habentes plenos adulterii.* 2. Ab adjuncto contumaciæ, quia *à peccato ceſſare neſciunt.* 3. Ab effecto, *ineſcantes animas inſtabiles.* Avaritia explicatur: 1. A ſubjecto ejus primario illis verbis: *Sedem habuit in corde.* 2. Ab adjuncto conſuetudinis, illis verbis: *Cor exercitatum.* Ultimo deſcriptionis hujus finis ac ſumma exprimitur, quod ſint homines execrandi.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Cum de peccatis ſceleratorum hominum cogitamus, debemus ſimul de pœnis eorundem cogitare.*

Colligitur ex eo, quod Apoſtolus ſubinde hoc interſerit, dum de peccatis iſtorum hominum agit.

Ratio

Ratio. 1. Quia ista duo sunt sententiâ Dei, & sua propria natura connexa.

2. Quia consideratio peccati magis obest sæpe, quam prodest, nisi adjungatur consideratio pœnæ.

Usus Exhortationis, adversus eos, qui delicias tantum sibimetipsis faciunt in commemoratione peccatorum, vel suorum, vel aliorum.

Docum. II. *Luxus profusus est signum hominis secure peccantis.*

Colligitur satis manifeste ex textu, & expresse habetur, Iud. 11. v.

Ratio. Quia tales homines, vel non cogitant omnino de judiciis Dei, vel studeant saltem istiusmodi cogitationes amovere.

Usus 1. *Institutionis*, ne judicemus istiusmodi homines fœlices, ut solet vulgus.

2. *Admonitionis*, ut caveamus nobismetipsis ab ejusmodi excessu.

Docum. III. *Luxus eo magis est damnandus, quo magis ostentatur.*

Colligitur ex eo epitheto, *diurnum luxum.*

Ratio. Quoniam eò magis abest à pudore, atque adeo à resipiscentia.

Usus Admonitionis, ad damnandam impudentiam illam quæ jam invaluit inter multos.

Docum. IV. *Maximum est in illis peccatis periculum, unde maxima voluptas & oblectatio capitur.*

Ratio 1. Quia voluptas est signum habitus perfecti.

2. Quia voluptas difficillime deseritur.

Usus Admonitionis, ut caveamus ab illis oblectamentis, quæ a peccatis oriuntur.

Docum. V. *Qui maxime sibi placent in peccatis, & semetipsos, & alios maxime inquinant & commaculant.*

Colligitur ex illis verbis: *Labes ac macula*, ut & Judic. 12.

Ratio. Quia quò magis apparet peccatum aliquod in Ecclesia, eo majore dedecore afficitur, non tantum ipse peccator, sed etiam Ecclesia tota cujus est membrum.

Docum. VI. *Sceleratorum hominum externa etiam membra sunt plena nequitiæ*, oculos habentes plenos, *&c.*

Ratio. Quoniam ex abundantia cordis implentur omnes facultates, & operum instrumenta, impressionibus cordi consentaneis.

2. Quia per externos sensus tanquam per canales, aut portas admittitur peccatum, aut tentatio ad peccandum in ipsum cor, ita ut oculi & istiusmodi instrumenta corporea sint duplici ratione impleta, tam ingressu quam egressu peccati: Unde fit, ut sicut partes urbis magnæ magis refertæ solent esse, quam cæteræ partes civitatis propter frequentem populi ingressū & egressū, sicetiam oculi istiusmodi hominum.

Usus 1. *Institutionis*, ut videamus & deploremus miseram illam conditionem, cui obnoxii sunt homines ratione peccati; quia nullam partem habent mundam aut vacuam.

2. *Admonitionis*, ut cum omni cura purgemus nosmetipsos, & omnes facultates nostras & partes tam corporis, quam animi ab istiusmodi sordibus.

Docum. VII. *Immunditia corporis conjungitur sæpe cum impuritate religionis.*

Colligitur ex illis verbis: *adulterii.*

Ratio 1. Quia causa prohibens amoveretur, religio nempe pura.

2. Quia justum est hæc Dei

judicium, Roman. 1. 26.

3. Quia propter istiusmodi carnales affectus subducunt sese homines à pietate, aut eam impugnant.

Usus Admonitionis, ut eo magis religiose colamus puritatem in religione.

Docum. IIX. *Cum impietate conjungitur sæpe in istiusmodi hominibus avaritia.*

Colligitur ex illis verbis: *Ad avaritiam.*

Ratio 1. Quia ista præcipuè pertinet ad dominationem illam, quam mundus exercet in suos servos, 1 Joh. 2. 16.

2. Quia per avaritiam quærunt illa, quæ faciunt ad impuritatem vitæ fovendam.

Usus Admonitionis generalis, ut à singulis peccatis abstineamus, si nolimus etiam alia admittere.

Docum. IX. *Exercitatio cordis ad istiusmodi peccata, maxime illa confirmat & auget.*

Colligitur ex illo verbo: *Cor habentes exercitatum.*

Ratio 1. Quia exercitatio inducit & auget habitum.

2. Est indicium animi dediti istiusmodi peccatis cum voluptate quadam. Nemo enim libenter se exercet in iis, quibus non delectatur.

Usus Admonitionis, ut secundum consilium Apostoli, 1 Tim. 4. 7. exerceamus nos ad pietatem, non ad nequitiam. Sicut enim Apostolus ibi dicit: *Corporalem exercitationem esse inutilem*; ita in ista comparatione dici potest, exercitationem peccati non tantum esse inutilem, sed ad plurima noxiam.

Docum. X. *Qui hunc in modum assueti sunt suis peccatis, obfirmantur in illis.*

Colligitur ex istis verbis: *Nesciunt cessare in peccando.*

Ratio 1. Quia peccatum hoc pacto magnas vires & dominium acquirit.

2. Quia via omnis instruitur ad resipiscentiam.

Usus Admonitionis, ut in tempore desistamus à malis propositis.

Docum. XI. *Istiusmodi homines debent in maxima detestatione haberi.*

Colligitur ex istis verbis: *Execrandi homines.*

Ratio. Quia maximam oppositionem & contrarietatem habent ad illud, quod est maxime diligendum.

Usus Exhortationis, ut zelum exerceamus in peccatis & peccatoribus fugiendis.

Vers. 15. & 16.

Qui derelicta recta via aberrarunt, sequuti viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.

Sed redargutionem suæ transgressionis habuit: nam *subjugis asina muta, humana voce loquuta, inhibuit Prophetæ dementiam.*

ANALYSIS.

COmmoratur hic Apostolus in illorum hominum avaritia explicanda & illustranda per comparationem similitudinis, quam instituit

tuit inter ipsos & Balaam filium Bezor. Qualitas autem in qua comparantur & generaliter proponitur, quod secuti sint ejus viam, id est, imitati sunt eum simili plane agendi ratione: & particulariter explicatur: 1. In effecto, quod relicta via aberrarunt in devia, id est, in vias pravas & improbas. 2. In hujus effecti causa propria, quod mercedem iniquitatis amarunt, sicut ille amavit, id est, ex turpis lucri cupiditate impietati & injustitiæ se dediderunt. 3. In adjuncto effectum illud consequente, redargutione scil. divina, vers. 16. quæ illustratur per instrumentum, quod eidem adhibebatur, asinam scil. subjugem & mutam. Cujus etiam instrumenti prout tum temporis adhibebatur per comparationem imparium aptitudo declaratur, quia ostenditur istam asinam aliquo modo sapientiorem fuisse suo domino. Cum enim dominus quamvis Propheta fuerit demens factus sit, asina illa dementiam illam sua quasi sapientia castigavit & correxit.

Quæritur de isthoc Balaam filio Bezor qui hic appellatur Propheta, & tamen flagitiosissimè dicitur peccasse, an fuerit verus Dei Propheta, necne?

Resp. Præditus fuit aliquando dono prophetiæ ipsi à Deo communicato, ut apparet Num. 22. sic 23, 24. Singulariter autem 23, 26. dicitur Iehova indidisse Verba ori ipsius, sic etiam vers. 20. & cap. 24. 2. Spiritus Iehovæ dicitur ei adfuisse, & quartò audivisse sermones, &c. Sanctus tamen Dei Propheta non fuit, sed ut aliis vitiis deditus, præsertim avaritiæ, sic etiam magicarum artium peritus, quarum ope, uti dicitur Numer. 24. 1. captare solebat incantationes. Talis ergo fuit inter Prophetas, qualis Iudas inter Apostolos: cujus notæ etiam aliqua ex parte senex ille Propheta videtur fuisse, qui habitabat Bethele, 1 Reg. 13.

Documenta.

Docum. I. *Improbi homines cujusq; seculi posterioris referunt impios illos suis moribus, qui olim vixerunt.*

Colligitur ex illis verbis: *Secuti etiam viam Balaam.* Non enim sibi proposuerunt isti homines Balaam pro exemplo imitationis, sed quia in eadem vias ferebantur, idcirco dicuntur eum secuti.

Ratio 1. Quia una & eadem est illa corruptio ingenita, ex qua hujusmodi improbi mores derivantur, tanquam ex originali fonte. Quamvis autem semper & in omnibus non eodem plane modo operetur, cum tamen similes naturas occupat, & similes etiam occasiones occurrunt, tum non minus est sui similis quam ovum ovo.

2. Quia idem nequitiæ doctor, tentator, & serpens antiquus efficaciter agit in suis mancipiis per omnia secula.

3. Quia etiam sæpe mores antecedentes non per traditionem tantum, sed quasi per traducem generant sui similes.

Usus 1. *Informationis*, ne nimis conturbemur improbitate hominum, qui nobiscum vivunt, quia nihil novi est sub sole in isto genere.

2. *Admonitionis*, ne singulare quicquam expectemus ab improbis hominibus, dum tales manent, præ illa quæ scripta legimus de aliis

improbis antiquis.

3. *Exhortationis*, ut nos igitur ſtudeamus ſimiles eſſe piorum veterum, qui laudantur in Scripturis.

Docum. II. *Hoc habent omnes improbi ſibi commune quod viam rectam derelinquunt, & aberrant in illa quæ non eſt juſta.*

Colligitur ex illis verbis: *Qui derelicta via aberrarunt.*

Ratio 1. Quia recta via eſt in obſervatione voluntatis Dei, vel operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, Eph. 2. 10. Pſal. 11. 1, 2. &c. Improbitas autem eſt alia via tortuoſa, quam homines ſibimet ipſis invenerunt oppoſita plane voluntati Dei.

2. Quia illa via eſt recta quæ certo ducit ad felicitatem æternam, Matth. 7. 14. ſed improbitas tendit ad mortem, Prov. 7. 27. & 8. 36.

Uſus Admonitionis, ut ſedulo nobis caveamus ab iſthac aberratione, ſemper attendentes ad rectitudinem viæ.

Docum. III. *Avaritia ubi prævalet certiſſime producit oberrationem iſtam à via recta.*

Colligitur ex illis verbis: *Qui mercedem iniquitatis amavit*, 1 Tim. 6. v. 17. atque adeo novam viam neceſſario ſequitur alienam plane ab ea, quam Deus verus & vivus nobis præſcripſit.

Ratio Quia homo avarus eſt obnoxius omnibus tentationibus diaboli, quæ quæſtum aliquem præ ſe ferunt, ita ut omnem pietatem habeat quæſtui, 1 Tim. 6. 5, 9. & hoc ipſum eſt quod dicitur in textu: *mercedem iniquitatis amant*, id eſt, lucrum quærunt, quamvis conjunctum ſit cum maxima iniquitate.

Uſus Admonitionis, ut caveamus igitur & fugiamus avaritiam, tanquam maximam peſtem & hoſtem pietatis, Phil. 5. 3. Col. 3. 5.

2. *Exhortationis*, ut ſtudeamus contentationi, 1 Tim. 6. 6, 8.

Docum. IV. *Omnis hujuſmodi improbitas ſuam redargutionem habet à Deo.*

Colligitur ex initio v. 16. *Sed redarguit, &c.*

Rat. 1. Quia Scriptura & lex ipſa quæ violatur per peccatum ideo illud peccatum redarguit Rom. 7. 7.

2. Conſcientiæ peccatorum ſolent ipſos etiam arguere, Rom. 2. 15.

3. Ipſæ creaturæ idem ſuo modo faciunt, Deut. 31. 28. & ſi ex ordine inſtituto non ſatis redarguerent peccatores, extraordinarium aliquod ederetur miraculum potius, quam ut non eſſent convicti, ſicut hic videmus in exemplo Balaami.

Uſus 1. *Admonitionis*, ut applicemus animos ad iſtas redargutiones Dei, & non inſuper habeamus, ut ſolent homines deſperati, ſed cedamus ipſis & vitemus illa omnia, quæ redarguuntur à Deo, ſive in Scripturis, ſive in Conſcientiis noſtris, ſive in Creaturis.

2. *Exhortationis*, ut omni ſtudio quæramus & conſervemus in nobiſmetipſis teſtimonium illud Dei & conſcientiæ noſtræ, quod eſt ad conſolationem & non ad redargutionem.

Docum. V. *Illi homines extrema & bruta dementia laborant, qui nolunt redargui aut in impietate ſua inhiberi, niſi opere aliquo miraculoſo.*

Colligitur ex fine v. 16. *Subjugis aſina humana voce locuta inhibuit Prophetæ dementiam.*

Ratio. Quia tales homines privantur

vantur ſenſu communi quoad ſpiritualia, & traditi ſunt in reprobum ſenſum.

Uſus Admonitionis, ut caveamus nobis à duritie illa cordis, quæ credere neſcit Deo in Verbo ſuo loquenti, & abjiciamus vanam illam imaginationem, quam dives ille cum ſuis fratribus foviſſe dicitur, Luc. 16. v. 30. & Abrahamus refutat verſ. 31.

Verſ. 17. uſque ad finem Cap.

Iſti ſunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ: quibus caligo tenebrarum in æternum aſſervata eſt.

Nam quæ prætumida vanitas ipſis dictavit loquendo, eos inescant per carnis cupiditates laſcivas, qui vere effugerant ab iis qui in errore verſantur:

Libertatem eis pollicendo, quum ipſi ſervi ſint corruptelæ, ſiquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus.

Nam ſi poſtquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & Servatoris Ieſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt ultima eorum conditio deterior priore.

Melius enim fuiſſet eis non cognoviſſe viam juſtitiæ, quam cognita illa, *regredi à ſancto præcepto ſibi tradito.*

Sed accidit eis quod vero proverbio dici ſolet, Canis reverſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, & Sus lota ad volutabrum cœni.

ANALYSIS.

COntinetur iſtis verſiculis refutatio quædam falſorum doctorum, quorum deſcriptio ante fuit tradita. Hujus autem refutationis ſumma in eo verſatur, quod omnia illa vana fuerint quæ ſuis diſcipulis aut ſectatoribus promittebant. Hoc autem generaliter indicatur comparationibus illis quæ adhibentur, v. 17. Ubi iſti doctores dicuntur eſſe quaſi *fontes ſine aqua*, & *nebulæ ſine pluvia*, quia multa expetenda præ ſe ferunt, quorum nihil omnino præſtant. Ex quarum ſimilitudinum occaſione repetitur obiter pœna illis à Deo præparata, per continuationem ejuſdem allegoriæ, quod ſcilicet cum ſint quaſi fontes aut nebulæ calignem quandam præ ſe ferentes, caligne tenebrarum certo tandem experientur. 2. Eadem vanitas illuſtratur à cauſa impellente ipſos ad nova ſua dogmata ſpargenda, quæ fuit prætumida ipſorum vanitas, verſ. 18. in principio & ab ejuſdem effecto quod fuit ſubdola ſeductio Chriſtianorum ad carnis cupiditatibus indulgendum, ibidem in fine. 3. Eadem vanitas pollicitationum eorum explicatur initio, verſ. 19. per diſſimilitudinē & oppoſitionem maximam quæ ſunt inter ipſos & eornm promiſſa. Promittebant enim libertatem aliis, cum ipſimet eſſent ſervi corruptelæ. Inde vanitas promiſſionum eorum manifeſta redditur, & proponitur quaſi palpanda: quoniam illud promittebant, in quo ipſimet maximè fue-

runt alieni & remoti. 4. Quod in diſſimilitudine ponitur, eos nempe fuiſſe ſervos corruptelæ, quia potuit in dubium à quibuſdam vocari, confirmat Apoſtolus in fine, verſ. 19. à generali definitione, aut deſcriptione ſervi, aut ſervitutis illius quam intelligebat, quod is nempe ſit ſervus alterius, qui eſt ab eo ſuperatus. Nam qui jure belli capitur ab hoſte adjicitur ipſi in inſervitutē, ſaltem uſque dum ſolverit juſtum pretium redemptionis. 5. Amplificatur miſeria hujus ſervitutis reſpectu eorum qui profeſſionem fecerunt fidei & ſanctitatis, per comparationem imparium, inter illam conditionem, cui ante vocationem ſuam fuerunt obnoxii, & iſtam quam per Apoſtaſiam ſuam ſibimet accerſunt, ubi poſterioris conditionis miſeria ſtatuitur major priore, verſ. 20. & ratio ejus redditur, verſ. 21. Quia gravius eſt peccatum quod admittitur poſt & contra cognitionem viæ rectæ, quam quod ignorantiam habet ſibi adjunctam; quæ etiam imparitas illuſtratur per comparationem ſimilium, proverbialibus ſententiis explicatam de cane & ſue, verſ. 22.

Quæſtio. Hic una exoritur, An iſti qui ſeducebantur à falſis doctoribus fuerint antea veri fideles?

Reſp. Habuerunt fidem illam quæ dici ſolet temporaria, ſed nunquam fuerunt ſolide in fide radicati. Probatur hoc ex cap. 2. verſ. 14. Ubi omnes illi qui ſeducebantur ab iſtis ſeductoribus dicuntur animæ inſtabiles. Si enim per ſolidam fidem inſiti fuiſſent Chriſto, tum in ipſo etiam fuiſſent ſtabiles & corroborati: quod autem, v. 10. dicuntur vere effugiſſe ab improbis, hoc fuit, 1. Reſpectu profeſſionis quam fecerunt veræ fugæ aut converſionis. 2. Reſpectu aſſenſus quem interne etiam putandum eſt ipſos præbuiſſe verbo, per quod ad iſtam converſionem vocabantur. 3. Reſpectu commutationis illius quam fecerant in moribus externis. 4. Reſpectu etiam levis cujuſdam inchoationis, qua verſus ſanctitatem ipſam tendebant.

Documenta.

Docum. I. *Qui aberrant à recta via & alios aberrare faciunt, quicquid præ ſe ferunt, nihil aliud habent in ſeſe aut in ſuis erroribus niſi vanitatem.*

Colligitur ex verſ. 17. & initio 18.

Dicuntur enim in textu eſſe quaſi ipſa vanitas, ſicut Salomon pronunciat de omnibus rebus quæ ſunt ſub ſole, reſpectu beatitudinis, ſunt vanitas vanitatum. Vani autem dicuntur. 1. Quia ſpeciem, tantum alicujus veri aut boni habent, non rem ipſam. 2. Quia ſpeciem aliis faciunt alicujus boni communicandi, ſed non præſtant neque poſſunt præſtare. Illud enim proprie dicitur inane aut uanum, quod eſt inane illa re quam continere debet, aut quod eſt ineptum illi uſui & fini cui debet inſervire. *Ratio* 1. Quia dereliquerunt Deum, qui eſt fons omnis veri & ſolidi boni. 2. Quia aguntur à Sathana qui eſt pater mendaciorum & omnis vanitatis.

Uſus Admonitionis, Ut caveamus ergo nobis ab ejuſmodi hominibus ne aliqua ex parte decipiamur. Hoc enim eſſet vanum, & vanitatem amplecti loco felicitatis æternæ.

Docum. II.

Docum. II. *Iſtiuſmodi tamen homines in ſua vanitate maxime ſolent intumeſcere.*

Colligitur ex verſ. 18. in princ. 1 Cor. 8. 1. *Cognitio inflat*: Quod ſi verum ſit de cognitione rerum quæ in ſeſe veræ ſunt, ſi non cognoſcantur ſicut oportet noſſe, ut explicatur verſ. 2. tum multo magis cogitandum de cognitione illa, quæ ſpeciem quandam habet ſingularis cujuſdam præſtantiæ cui nihil omnino ſolidi inceſt, ne in re quidem ipſa, nedum in mundo. *Ratio*, quia iſtiuſmodi homines videntur ſibi ſapere non tantum ſupra vulgus, ſed & ſuper illos qui excellunt in Eccleſia Dei, imo nonnunquam ſupra Apoſtolos ipſos & Prophetas, atque adeo jactare ſolent profunditates quaſdam, quæ idcirco à Spiritu ſancto appellari ſolent profunditates Sathanæ, Apoc. 2. 24.

Uſus Informationis, Ut ſuſpectos ſemper habeamus iſtos homines qui ſingulari modo inflantur ſuis privatis conceptibus, de aliqua parte religionis.

Docum. III. *Quod iſtiuſmodi homines ſeducunt ſæpe multos & varios habent ſectatores, id ex eo præcipue contingit, quod eorum doctrinæ vel quoad rem vel quoad modum docendi intime conſentit cum carnalibus hominum cupiditatibus.*

Colligitur ex illis verbis, *ineſcant eos per cupiditates laſcivas.*

Ratio. Quia ſicut caro facile ſeſe applicat ſemper ad carnalem doctrinam, propter communionem quam habent inter ſeſe, ſic maxime hoc facit cum ſub ſpecie religionis aut veritatis poſſit latitare.

Uſus Admonitionis, Ut ſi tuti eſſe velimus ab infectione & ſeductione, ſtudeamus ſedulo mortificationi carnis. Neque enim illi tantum ſunt in periculo ſeductionis qui nondum cognoverunt veritatem, ſed & illi qui aliquo modo verè fugerunt ab iis qui in errore verſantur, ut eſt in textu.

Docum. IV. *Præcipua carnis cupiditas, qua homines ſolent ſeduci, eſt carnalis libertatis amor.*

Colligitur ex verſ. 19. princ. Pſal. 2, 3.

Ratio. 1. Quia caro ſemper quærit ſuam pacem ac quietem; qua frui non poteſt, niſi ſuis cupiditatibus libere indulgendo, atque hinc eſt quod carnales homines imperium Dei & ipſius verbi habent pro jugo, loris, denſis funibus, &c.

Quia in libertate ſpecies quædam eſt dignitatis ac præſtantiæ illius, cujus omnes filii Adæ ſunt cupidiſſimi, ex quo venenum illud ſerpentis imbiberunt, *eritis ſicut Dii.*

2. Quia falſam quandam umbram habet Chriſtianæ illius libertatis ad quam vocamur, Joh. 8. 32, 33, 34. Hinc eſt quod execranda Libertinorum ſecta, quæ ſub ſpecie libertatis omnem religionem evertit, ſuos fautores inveniat inter eos qui nomine ſunt Chriſtiani.

Uſus 1. *Condemnationis*, Adverſus eos qui libertatem ſemper crepant & conſectantur cujuſcunque generis fuerint. Chriſtiani enim ſunt ſervi juſtitiæ, quamvis ſint liberi à peccato, Rom. 6. 18.

2. *Admonitionis*, Ut reprimamus & coërceamus in nobiſmetipſis carnalem iſtum affectum libertatis, 1 Cor. 9. 27.

Docum. V. *Qui maxime ſtudent huic libertati carnali ſunt miſerrimi ſervi peccati.*

Colli-

Colligitur ex illis verbis, *ipsi servi sunt corruptelæ*, Rom. 6. 20.

Ratio 1. Quia superantur & captivi tenentur à peccato.

2. Quia sistunt semetipsos totos ad obediendum peccato, Rom. 6, 16, 19.

3. Quia in hac servitute, quamvis omnium sit fœdissima, cum voluptate quadam manent, ita ut magis sint servi peccati quam illi sunt hominum, qui remigio ipsi admoventur: eorum enim animi adspirant ad libertatem; sed isti homines acquiescunt semper in conditione sua maxime servili.

Usus 1. *Informationis*, Ut intelligamus quando affici debemus erga istiusmodi homines. Quamvis enim sibimetipsis soli ferè beati videntur, sunt tamen re vera commiseratione dignissimi, ac non invidia.

2. *Admonitionis*, Ut magis magisque fugiamus istam servitutem addicendo nos totos Deo & justitiæ ejus, Rom. 6. 18, 19, 22.

Docum. VI. *Qui in istam servitutem rediguntur post professionem & confessionem factam veritatis, eorum conditio est magis deplorata quam aliorum peccatorum.*

Colligitur ex vers. 20, 21.

Ratio 1. Quia peccatum gravius admittunt quam alii. Nam ubi nulla est lex, ibi nullum peccatum: ubi minor est lex aut legis cognitio, ibi minus peccatum: ubi vere major est cognitio legis, & voluntatis Dei, ibi peccatum majus & gravius redditur.

2. Quia singulari quadam contumelia Deum afficiunt, dum profitentur se ipsius disciplinam & officium agnovisse, & aliquo modo expertos esse, & postea rejiciunt & peccato postponunt.

3. Quia Diabolus peccati princeps severe magis obsidet illos, quos quasi ex fuga retraxit ad sese, Mat. 12. 45.

4. Quia ira Dei est accensa adversus istiusmodi homines, Ebr. 10. 26, 27.

5. Quia vix ullus locus relinquitur ipsis resipiscentiæ, Ebr. 6. 6.

Usus Admonitionis, Ut omnes illi qui viam Dei cognoscunt, eandem etiam constanter observare studeant in omni parte vitæ & conversationis.

Docum. VII. *Fœditas ipsa peccati alienos reddere debet à reversione ad servitutem ipsius.*

Ratio 1. Quia vocati sumus ad puritatem.

2. Quia professi sumus abominationem impuritatis illius quæ est in peccato.

3. Quia Deo est abominabilis, & homines abominandos coram ipso reddit.

Usus 1. *Condemnationis*, Adversus eos qui in ista fœditate semetipsos oblectant, & inde venustatem quandam sibimet conciliari putant, ut qui sermonem suum juramentis exornant & conversationem suam gratam quibusdam reddere studeant, accommodando semetipsos ad eorum consuetudines, ac mores vitiosos & turpes.

2. *Admonitionis*, Ut subinde nobis ob oculos ponamus fœditatem istam peccati. Sic enim resipiscentiam nostram renovabimus, & in studio perseverantiæ erimus confirmati.

CAPUT

CAPUT III.

Vers. 1. & 2.

Hasce jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestrem per submonitionem expergefacio:

Ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & præcepti illius nostri qui sumus Apostoli Domini & Servatoris.

ANALYSIS.

APostolus properans jam ad finem Epistolæ, 1. repetit scopum illum quem habuit inscribendo primis secundis versib. 2. Illos homines denuo describit, à quibus ut caverent epistolam ipsam scripsit, vers. 3, 4. 3. Refutat eorum blasphemias à vers. 5. ad 11. 4. Ostendit usum & fructum suæ doctrinæ, inquem scilicet ab omnibus fidelibus debet converti, à vers. 11. ad finem. Et quia versus iste præcipuus est finis totius Epistolæ, quo finis ipse & scopus bis denuo inculcatur, vers. 14, 17, 18. In repetitione finis eum explicat ac describit, 1. A genere, quod sit *submonitio.* 2. Ab effecto quod *expergefacit.* 3. Ab objecto, quod ad illos fuerit directa, qui sinceram mentem habuerunt. 4. A medio hujus effecti consequendi eorum quæ prædicta fuerunt per Prophetas, & per Apostolos præcepta, v. 2. 5. A modo quo omnia hæc efficaciora possent reddi: illustratio quædam adhibetur, quod scilicet ista submonitio fuit cum iterata instantia: has jam alteras scribi, & cum paterno quodam amore, qui titulo indicatur quem istis tribuit, dum *dilectos* appellat. Quia de submonitione seu commonefactione actum est antea, Cap. 1. v. 12, 13. ac etiam de expergefactione: istis ergo præteritis sint hæc

Documenta.

Docum. I. *Mentes fidelium debent sinceritate & simplicitate imbui, ut possint divinas admonitiones recipere, sicut oportet.*

Colligitur ex illis verbis, *Synceram vestram mentem expergefacio.* Non autem adeò ipsos laudat hoc suo testimonio, atque indicat cui rei debeant imprimis studere, ut possint fructum percipere ex ista scriptione. Sic Epistola prima cap. 2. 12. Jac. 5. 21.

Ratio 1. Quia sicut in omnibus rebus quæ sunt alicujns momenti requiritur semper aliqua præparatio subjecti, ut in agricultura, aratio & occatio terræ: sic, & multo etiam magis cordium nostrorum præparatio quædam requiritur ad verbum Dei cum fructu recipiendum, Ierem. 4. 3, 4. Nulla autem potest esse aptior quam ut per sinceritatem illa omnia deponantur, quæ verbo sunt opposita & efficaciam ejus impediunt.

2. Quia verbum Dei est sincerum atque adeo in iis à quibus recipitur

cipitur, requirit ſinceritatem, epiſtolâ primâ cap. 2. v. 2.

3. Quia abſque ſinceritate nihil omnino rectè agitur. Sinceritas enim eſt communis affectio obſervantiæ.

Uſus 1. *Increpationis*, Adverſus eos qui nullam omnino curam habent ſeipſos rectè diſponendi ad verbum Dei rectè percipiendum.

2. *Exhortationis*, Ut ſtudeamus inprimis huic ſinceritati mentis, Luc. 18. 5.

Docum. II. *Qui ſinceram habent mentem, libenter admittunt & retinent, quæ ex Prophetis & Apoſtolis ipſis proponuntur.*

Colligitur ex verſ. 2.

Ratio 1. Quia oves Chriſti vocem ejus agnoſcunt & ſequuntur illum, Ioh. 10. 27. Vox autem in Prophetis & Apoſtolis ſonat.

2. Quia in Prophetis & Apoſtolis omnia conſentiunt cum ſinceritate, 1 Petr. 2. 2 Pſa. 19. 8, 9.

Uſus Informationis, Ut ad iſtam regulam mentium noſtrarum examen inſtituamus, qui enim alieni ſunt à verbis Prophetarum & Apoſtolorum illi habent mentis ſinceritatem: qui vero iis inhærent quamvis variis infirmitatibus laborant, habent ſemper in promptu ſinceritatis ſuæ certum argumentum.

Docum. III. *Ad hujuſmodi tamen officia opus eſt ut vel optimi quique ſæpius excitentur.*

Colligitur ex illis verbis, *haſce jam alteras ſcribo.* Phil. 3. 1. 1 cap. verſ. 10, 13. qui conſulendi ſunt hac de re.

Docum. IV. *Iſtiuſmodi admonitiones ſunt opera Chriſtianæ charitatis ex illo titulo*, dilecti.

Ratio 1. Quia tendunt ad liberandos homines à maximo malo, & ad maximum bonum iis communicandum.

2. Quia pertinent ad communicationem quæ per charitatem exercetur.

Uſus 1. *Increpationis*, Adverſus eos qui ægre ferunt admonitiones & habent illos pro inimicis à quibus adhibentur, Gal. 4. 16. 2 Tim. 4. 3.

2. *Exhortationis*, Ut exerceamus nos ad officium iſtud exercendum cum omni charitate.

Verſus 3, 4.

Illud primum ſcientes venturos extremis diebus irriſores, in ſuis ipſorum cupiditatibus incedentes:

Et dicentes, Ubi eſt pollicitatio adventus ejus? nam ex quo die Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.

ANALYSIS.

IStis verbis deſcriptio nova impiorum quorundam hominum, à quibus ſemper maximè cavendum fuit, introducitur ex occaſione teſtimonii Apoſtolorum antecitati. Quod enim hoc primum ſciendum eſſe dicit, quales ſint iſti impii homines de quibus monet, eo non tantum vult indicare neceſſarium iſtud cognitu eſſe ad intelligentiam & appli-

applicationem verborum Apoſtolicorum cum fructu, ſed etiam ex ipſis verbis Apoſtolorum poſſe ac debere hoc inprimis obſervari, tales ſcilicet homines extremis diebus futuros. Sic enim explicatur iſta phraſis, Iud. 18. Deſcribuntur impii iſti homines generaliter. 1. Per impietatem erga Deum quod ſint *irriſores*. 2. Per impuritatem vitæ & factorum quod *incedant in ſuis cupiditatibus*. Deinde ſpecialiter per argutionem illam qua impii irriſores utebantur, ad impietatem ſuam defendendã, & contrariam ſuam doctrinam à ſeſe amoliendam verſ. 4. Illis enim verbis exprimitur, 1. ecce tum irriſio quæ antea fuit generaliter notata, & argumentum eorum explicatur quo ſibimetipſis & aliis perſuadere voluerunt, poſſe ſe in cupiditatibus incedere ſine timore aut periculo: quia ſcilicet adventus ille Dei, cujus expectatio avertebat homines ab iſtiuſmodi vita, non eſt metuendus, illis verbis: *ubi eſt pollicitatio adventus ejus?* Illud autem ſibimetipſis & ſimilibus confirmabant, & vana quadam comparatione temporum antecedentium cum futuris, quod cum à temporibus Patrum, & ab initio creationis nullus adventus Domini fuerit ad mundum judicandum, non ſit metuendum ne tale quid in fine mundi contingat, illis verbis: *Nam ex quo dic Patres abdormiverunt, omnia ita manent ab initio creationis.* Hæc autem tota deſcriptio vel potius res deſcripta, id eſt, impietas iſta illuſtratur ab adjuncto temporis, in quo præcipuè & ſingulari quadam eminentia aut abundantia reperitur, ſcilicet *extremis diebus*.

Documenta.

Docum. I. *In Scripturis legendis præcipue attendendum eſt ad illa quorum maximum uſum habemus.*

Colligitur ex illis verbis. *Illud primum ſcientes.* Voluit enim Apoſtolus ut in præſentia primum & præcipuè cogitarent de iis quæ dixerant Apoſtoli in ipſorum uſum præſentem, quoad impios iſtos homines.

Docum. II. *Scriptura graviſſima prædicat de extremis illis diebus.*

1 Tim. cap. 4. 1. 2 Tim. 3. 1.

Ratio 1. Quod enim iniquitas magis abundat extremis iſtis diebus eſt quia cognitio abundat quæ ſub injuſtitia detinetur: peccatum facit magis peccans, Rom. 7. 13. & iram Dei magis accendit, Rom. 1. 18.

2. Quia ultima ſecula ex vi depravationis illius quæ genus humanum occupat & urget, ſunt quaſi ſentina omnium antecedentium ſæculorum ad fæces eorum recipiendas.

Uſus 1. *Informationis*, ne ſcil. nimis animis conturbemur, cum videmus quaſi inundationem iniquitatis & impietatis ubique graſſantis, quia hujuſmodi antea fuerunt nobis prædicta, Ich. 16. 4.

2. Ne conformari nos ſinamus moribus illis, qui in iſthoc ſeculo ſunt vulgares, ſed muniamus noſmetipſos potius adverſus eorum contagium.

Docum. III. *Inter malos homines illi omnium peſſimi ſunt, qui pietatem irrident.* Irriſores.

Ratio 1. Quia non tantum ſunt infideles, ſed & fidei contemptores. Irriſio enim eſt ex contemptu.

2. Quia conſcientias habent cauterio reſectas, quæ nulla inſtitutione poſſunt

possunt commoveri, atque adeo sunt plane desperati. Extinxerunt enim & suffocarunt scintillas ipsas naturales, quæ in omnium hominum cordibus solent emicare.

3. Quia sunt electa organa Diaboli ad avertendos alios à pietate, & ad pudefaciendos, si fieri posset, fideles Dei servos. Irrisionis enim effectum proprium est pudor.

Usus Admonitionis, ut istiusmodi irrisores fugiamus, tanquam monstra & pestes gentis humanæ.

Docum. IV. *Qui impias fovent opiniones in mente, impuritati dediti sunt in vita.*

Colligitur ex eo, quod iidem dicuntur, irrisores & in suis cupiditatibus incedentes.

Ratio 1. Quia propria causa quare tantopere student istiusmodi homines à se rejicere omnem sensum religionis, non est alia, quam ut possint cum omni licentia, fræno abjecto, turpissimis suis cupiditatibus indulgere.

2. Quia impiæ istiusmodi opiniones, vel imaginationes laxant habenas omni concupiscentiæ, atque adeo sunt causæ augendæ illius nequitiæ, cujus primo fuerunt effectum.

Usus 1. *Informationis*, ne putemus impios ac profanos ac atheos homines ab aliqua ratione ac judicio loqui cum religionem irrident. Sunt enim bestiæ in vita sua, ac proinde bestiales etiam imaginationes habent, quas solent proferre sub specie rationis.

2. *Admonitionis*, ut in fugiendis opinonibus & imaginationibus profanis ac blasphemis, caveamus nobis inprimis à vita turpi, quia viam sternit ad omnes impias sententias.

Docum. V. *Illud proprium est impiorum & profanorum hominum, adventum Domini & judicium ejus aliquo modo negare.*

Colligitur ex initio vers. 4.

Ratio. Quia expectatio judicii est præcipuum illis frænum, coercens hominum nequitiam, quod impii & profani homines maxime cupiunt excutere.

Usus Admonitionis, ut omni modo nobismetipsis caveamus, ne ulla ex parte participes simus illius impietatis: quod non tum solum fit cum adventum ipsum plane negamus sed etiam cum vel dubitationes admittimus, vel ut rem longe à nobis remotam apprehendimus, vel denique inefficaciter de eo cogitamus sine ulla ædificatione nostra in studio fidei & observantiæ.

Docum. VI. *Sophistica qua semetipsos decipiunt impii & prophani homines in eo est, quod nihil volunt credere supra illud quod sentiunt, & suum sensum opponunt testimonio Dei.*

Colligitur ex v. 4. in fine: *Nam ex quo die, &c.*

Ratio. Quia sunt animales homines, Iud. 19. & sensibus ac sensilibus rebus ducuntur sicut animalia bruta.

Usus 1. *Informationis*, ut hinc intelligamus contradictiones hominum profanorum destitutas esse omni ratione, atque adeo cum detestatione esse contemnendas. Nihil potest esse magis alienum aut insanum, quam de rebus super naturalibus consulere naturam, & spiritualium rerum judicium petere à sensu.

2. *Admonitionis*, ne quicquam sensibus nostris tribuamus in rebus

bus fidei. Perinde enim est ac si rationis judicium quæreremus inter animalia bruta.

Vers. 5, 6, 7.

Illud enim volentes ipsos fugit, cœlos jam olim extitisse per Dei sermonem, & terram ex aqua & in aqua consistentem.

Quamobrem is qui tum erat mundus, aqua inundatus periit.

Qui vero nunc sunt cœli ac terra, eodem sermone reconditi, asservantur igni in diem damnationis & exitii impiorum hominum.

ANALYSIS.

IN refutatione istius profanæ sententiæ Apostolus 1. redarguit prophanorum istorum hominum inscitiam, vers. 5, 6, 7. 2. Fideles instituit circa adventum Domini in iis, quæ maxime pertinebant ad eorum confirmationem in veritate adversus istiusmodi tentationes, quæ exoriri possunt ex cavillationibus talibus humanis, vers. 8, 9, 10. Inscitiam eorum arguit Apostolus: 1. A causa, quod sit voluntaria vel affectata ignorantia. 2. Ab objecto, veritate, scil. illa, quam volentes ignorabant & oppugnabant. Veritas autem illa quæ asseritur contradicit assertioni illi, qua isti homines voluerunt suam sententiam firmare. Cum enim illi dixerant, & pro argumento attulerant, quod omnia in eodem statu permanent ab initio creationis, negat hoc Apostolus, & contrarium ostendit ex historia diluvii, v. 6. tum ex comparatione parium, colligit idem etiam expectandum esse de destructione mundi per ignem in adventu Domini, quod ante aliquo modo præstitum fuit per destructionem ejus in aqua, vers. 7. 3. Ratio hujus paritatis, vel consequentiæ redditur ex communi causa creationis, conservationis & utriusque destructionis mundi, sermone scil. & voluntate Dei, v. 5. 7. 4. Conclusionem ipsam de destructionis mundi, illustrat ab ejus fine, ut simul possit accommodari ad impios illos, quibuscum negotium jam habuit vers. 7. in fine, dum diem Domini appellat *Diem damnationis exitiique impiorum hominum*. Illis enim verbis æternam damnationem comminatur profanis istis hominibus, ex adventu Domini certo expectandam, qui ipsum adventum negabant.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Impiorum hominum hoc proprium est, omnia libenter ignorare, quæ suis cupiditatibus adversentur.*

Colligitur ex illis verbis: *Volentes ipsos fugit*. Ignorantia laborant omnes mortales, sed fideles non ignorant illa quæ sibi necessaria sunt ad salutem, neque sibimetipsis placent in ullius veritatis ignorantia, nedum in earum rerum ignorantia, quæ pertinent ad praxin religionis, imo huic scientiæ maxime student, quasi duci debent ad vitam æternam, impii vero quamvis alias res maxime scire cupiunt, usque ad curiositatem

ſtratem damnandum ; illa tamen quæ pertinent ad ipſorum cupiditatem frænandam & peccata damnanda, amant neſcire. Hæc ignorantia illa eſt, quæ dicitur voluntaria & affectata.

Ratio 1. Quia affectant illa vitia quibus iſta ſcientia repugnat. Fugiunt ergo ſcientiam, tanquam ſibi malum & oppoſitum ; & ignorantiam affectant tanquam ſibi bonum & maximè conſentiens. Qui enim apud ſe conſtituit ſuis peccatis indulgere & in iis manere, quærit ſibi pacem, vel quietem in ſito ſtatu, atque adeo abhorret ab illa veritate, quæ conſcientiam ipſius arguit peccati, & non permittit, ut eidem indormiret.

2. Quia deditus eſt illis cupiditatibus, quæ viam omnem obſtruunt ſcientiæ ſalutari, & detinent eum irretitum & implicatum, ita ut non poſſit liberè ad ſcientiam veram aſpirare : affectat ergo ignorantiam hoc reſpectu, non tam in ſeſe quam in ipſius cauſa.

Uſus 1. *ad Convictionem* eorum, quæ ſibi placent in ignorantia rerum ſacrarum, quia hæc eſt proprietas hominis impii.

2. *Admonitionis*, ne unquam oculos noſtros claudamus adverſus lucem veritatis.

3. *Exhortationis*, ut ex adverſo omnem operam demus, & omnem diligentiam adhibeamus, ad ſcientiam nobis acquirendam, præſertim in iis, quæ pertinent ad propriam noſtram praxin & vitam.

Docum. II. *Plurimum facit ad ignorantiam noſtram tollendam vel minuendam inſpicere Dei opera præterita, ut ex iis colligamus opera futura.*

Colligitur ex comparatione illa, quæ hic inſtituitur, v. 5, 6, 7.

Ratio 1. Quia opera Dei ſunt ſpecula, in quibus Dei ſufficientia & efficentia conſpicienda nobis proponuntur.

Uſus Admonitionis, ut non leviter opera Dei intueamur, ac hiſtorias legamus eorum tanquam humanas, ſed ita ut Deum ſemper in iis ipſum intueamur.

Docum. III. *Publica illa Dei opera, creatio, ſuſtentatio & deſtructio mundi, primo per aquas, ſecundo per ignem ſapiſſime ſunt contemplanda, & inter ſeſe conferenda.*

Colligitur ex eadem comparatione.

Ratio. Quia Deus propoſuit iſta tanquam argumenta maxime illuſtria ad animos hominum aliquo ſaltem ſenſu religionis afficiendos.

Uſus Exhortationis, ut exerceamus noſmetipſos in iſtis meditationibus, quæ à Deo ſunt omnium hominum generi commendatæ.

Docum. IV. *In omnibus hujuſmodi Dei operibus illud imprimis eſt conſiderandum, quod exiſtunt ſimplicitèr & pendent ex ſermone Dei.*

Colligitur ex v. 5. 7.

Ratio. Quia nullus fructus percipitur ex contemplatione operum Dei, niſi in iis perfectio Dei ſpectetur. Perfectio autem Dei in ejus operibus in eo maxime elucet, quod verbo & nutu ejus omnia peraguntur.

Uſus Admonitionis, ut non à cauſis omnibus ſecundis oculos noſtros avertentes, Deum & ejus Sermonem in omnibus agnoſcamus. Inde eſt enim quod homines ſtorunæ ſæpe tribuunt illa quæ à Deo fiunt,

fiunt, quod vim Sermonis Dei ignorant. Atq; talis oppositio videtur esse in textu, inter verba impiorum, cum dicunt omnia permanere, nullam interim mentionem facientes Dei, cujus virtute permanent, sed potius tacite fortunæ aut causis secundis permanentiam istam tribuentes, & assertionem istam Apostoli, qua affirmat mundum primum extitisse per Dei Sermonem, & eodem sermone asservari.

Docum. V. *Omnis consideratio operum Dei applicari debet ad consolationem fidelium, & impiorum terrorem.* Colligitur ex v. 7. in fine.

Vers. 8, 9, 10.

Unum autem hoc ne vos fugiat, dilecti, unum diem apud Dominum perinde *esse ut mille annos, & mille annos ut diem unum.*

Non tardat Dominus promissionem, (*ut nonnulli tarditatem* hanc *esse ducunt*) *sed patiente est animo erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.*

Veniet autem sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cœli cum sibilo præteribunt, elementa vero æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur.

ANALYSIS.

IN hac altera parte refutationis piis ac fidelibus proponit Apostolus illa, quibus eorum corda possent stabiliri in veritate circa adventum Domini. 1. Igitur suadet ipsis intelligentiam & scientiam oppositam insciticæ impiorum. Cum enim de impiis ante dixisset, *illud enim volentes ipsos fugit,* convertens jam ad fideles ad contrarium hortatur, *unum autem hoc ne vos fugiat.* 2. Rem ipsam proponit quam vult ab ipsis singulariter intelligi & observari, quæ duo continet: 1. Dilationem adventus Domini non esse cum illa tarditate, quæ offendiculo debet esse cuiquam, tum quia non debet æstimari ex nostro sensu, sed æternitate Dei, cui illud spacium temporis, quod nobis videtur admodum longum, est instar unius diei, v. 8. tum etiam quod finis hujus dilationis sit peccatorũ conversio & salus; atque adeo ipsa dilatio non tam ex tarditate quam ex patientia provenit, vers. 9. 2. Modum illius adventus, tum quia subitaneus erit, tum etiam quia majestatem & terrorem magnum habebit, talem esse, ut homines potius sollicitos reddere debeat ad semetipsos illi præparandos, quam curiosos de ipso tempore, aut querulos de tarditate.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Cum impii homines & profani in Scriptura increpantur, refutantur, & condemnantur, fit hoc in gratiam fidelium & electorum, quorum ædificatio & salus à Deo spectatur, etiam cum alios alloqui videtur.*

Colligitur ex initio v. 8. ubi convertens Apostolus se directe ad fideles ostendit in eorum commodum impios istos fuisse refutatos. Sic

2 Theſſ. c. 2. 13. Jud. v. 20. 1 Tim. 6. 11. 2 Tim. 3. 14.

Ratio 1. Quia tota Scriptura & omnia media ſalutis ſingulari quadam proprietate pertinent ad fideles.

2. Quia Deus non vult verbum ſuum præterire ſine fructu: impii autem homines ſunt ſæpe ita perditi, ut non in ipſis, ſed in fidelibus tantum congruus fructus poſſit expectari.

Uſus Informationis, Ut recte judicemus de intentione Dei in iis quæ agit circa perditos & inemendabiles homines. Sicut enim Apoſtolus dicit de bobus, quod boves Deo non curæ ſint ſed homines, ſic nos debemus æſtimare Deo non adeo eſſe curæ beſtiales iſtos homines, quam fideles & electos, quos præcipue alloquitur, etiam cum alios alloqui videtur.

2. *Admonitionis*, Ne iſtiuſmodi increpationes impiorum neglectui ullam habeamus, quaſi nihil ad nos ſpectantes, ſed in uſum noſtrum prudenter convertamus.

Docum. II. *Fideles tum demum proficiunt ex verbo Dei quod eſt adverſus impios, cum impiorum fiunt maxime diſſimiles.*

Colligitur ex eo, quod cum impios Apoſtolus negligere ignorantiæ, hortatur jam fideles ad ſcientiam, Prov. 1. 15.

Ratio. Quia impiorum mores idcirco habemus depictos, ut poſſimus illos evitare.

Uſus Admonitionis, Ne impii vulgi exemplo nos abduci patiamur. Non enim proponitur à Deo ut aliquid ſequendum, ſed ut fugiendum.

Docum. III. *In eo ſingulariter differre debemus ab impiis, quod vias Dei ex ſenſu carnis non metiamur, ſed ex natura Dei.*

Colligitur ex illis verbis, *Unus dies apud Dominum.* Apud homines eſt aliud. *Ratio* quia res ſpirituales ſunt ſpiritualiter judicandæ. Omnes autem viæ Dei ſunt aliquo modo ſpirituales & divinæ.

Uſus Redarg. Adverſus illos qui in iſtiuſmodi inquiſitionibus carnem & ſanguinem conſulere ſolent, non verbum Dei.

Docum. IV. *Finis omnium viarum Dei prout homines reſpiciunt, eſt piorum reſipiſcentia & ſalus.*

Colligitur ex v. 9. Hic exurgit.

Quæſtio. An omnes & ſinguli mortales intelligantur, quos Deus non vult perire, ſed ad reſipiſcentiam tendere?

Reſp. Patientia Dei ex ſua natura illum uſum & finem habet ut alliciat peccatores ad reſipiſcentiam, Rom. 2. 4. atque eo ſenſu poſſet admitti illorum explicatio, qui illa verba & ſimilia intelligunt de omnibus & ſingulis: Sed Apoſtolum hoc loco ſingulariter ſpectaſſe electos ex eo apparet, quod loquens de dilectis Dei, v. 8. & ſemetipſum nobis annumerans dicit Deum patientem eſſe erga nos, id eſt, erga illos dilectos, & nolle ullos perire, id eſt, ullos eorum; quia præcipuum opus Dei erga homines eſt ſalus fidelium, atque adeo omnes ejus vias eo tendunt tanquam ad ſcopum.

Uſus 1. *Redargutionis*, adverſus inſaniam hominum, qui illa in Deo accuſant, quæ maxime faciunt ad eorum uſum, ſicut iſti homines in tarditate adventus Domini.

2. *Admonitionis*, Ne rectas iſtas Dei vias pervertamus, ſed ſemper

per ad usum illũ ad quem spectant, applicemus id est, ad resipiscentiam & salutem nostram promovendam.

Docum. V. *Via Domini cum ad judicium accedit, erit cum celeritate, majestate & terrore.*

Colligitur ex vers. 10.

Quia primò subitanea erit, quoniam hora & dies ejus non est revelata, & quoniam à plerisque mortalium nihil tale expectatur. Majestatis & terroris plena erit, quia adventus, est Domini non in humilitate ut primus adventus, sed in gloria.

Usus Admonitionis, Ut congruenter nos præparemus in adventum istum Domini. Hic enim usus urgetur & explicatur ab Apostolo in reliquo Cap.

Vers. 11. usque ad finem Cap.

Quum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & pietatis officiis,

Expectantes, & properantes ad *adventum diei Dei, in quo cæli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent?*

Sed cælos novos ac terram novam secundum promissum ejus expectamus, in quibus justitia inhabitabat.

Quapropter, dilecti, quum hæc expectetis, studete inconraminati & inculpati ab eo inveniamini cum pace:

Dominique nostri tarditatem ad iram, salutem ducite, sicut & dilectus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis:

Ut in omnibus fere epistolis, loquens de istis, in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.

Vos igitur dilecti, istorum *præscii quum sitis cavete ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis à propria stabilitate.*

Sed crescite in gratia & notitia Domini nostri & Servatoris Iesu Christi: cui gloria & nunc & ad tempus sempiternum. Amen.

ANALYSIS.

Continetur istis versiculis applicatio doctrinæ antea propositæ de adventu Domini ad usum & ædificationem fidelium. Fit autem hæc applicatio per exhortationem ad pietatem & sanctitatem, quæ primò proponitur, vers. 11. Secundò confirmatur à doctrina antea proposita de adventus illius Domini modo, vers. 12, 13. Tertio repetitur denuo & inculcatur, v. 14. Quartò denuò confirmatur à doctrina antea proposita de patientia & longanimitate Dei, vers. 15. principio quæ hoc in loco confirmatur testimonio Apostoli Pauli, ibid. Cujus testimonium illustratur, 1. Ab eo quod frequens fuerit in ejusmodi testimoniis, v. 16. principio. 2. Per præoccupationem, quâ monentur fideles, ne temere detorqueant quicquam à Paulo dictum de ejusmodi rebus in alienum sensum, quia quamvis non ulla sint ab illo

dicta intellectui difficilia, talia tamen sunt ut non detorqueri soleant, nisi à perversis quibusdam, qui reliquas etiam scripturas detorquent suo ipsorum exitio. Ex istis omnibus infertur ultimo in loco conclusio & exhortationis præcedentis, & totius etiam Epistolæ, quæ est ad curam stabilitatis, vers. 17. & ad studium progressus, v. 18. Cujus finis indicatur esse gloria Christi in δοξολογίᾳ illa, qua tota epistola obsignatur.

Documenta.

Docum. I. *Omnis Scriptura applicari debet ad usum practicum, ut sanctitatem & pietatem promovere possit.*

Colligitur ex vers. 11. Non tantum hoc in loco ista ratio institutionis observatur, sed in omnibus epistolis & concionibus quæ in Scripturis proponuntur.

Ratio 1. Quia finis omnis doctrinæ Theologicæ est bene vivere.

2. Quia simplex apprehensio & speculatio veritatis & modus assensus eidem præstitus ab intellectu, nihil prodest si separetur à praxi. Nam & in ipsis Diabolis aliquo modo reperitur.

3. Quia tentationes Diaboli eo maximè spectant, ut si veritas non possit occultari, possit tamen ita suffocari, ut nullum fructum proferat in vita, atq; adeo inserviat ipsi ad homines deridendos.

Usus Admonitionis, ut huic incumbere velint omnes tum privatim tum publice in prædicatione, auditione, lectione, meditatione Verbi, nec unquam putent se quicquam scire ut oportet, nisi sciant ad pietatem.

Docum. II. *In pietate & sanctitate semper debemus adspirare ad summam perfectionem.*

Colligitur 1. ex interrogatione, *Quales oportet esse vos?* 2. Ex plurali numero qui adhibetur in conversationibus, id est, in omni pietate & sanctitate.

Ratio 1. Quia omnis gradus pietatis & sanctitatis est æque desiderabilis in sese atque primus.

2. Affectus erga summum gradum sanctitatis & pietatis est pars ipsius primi gradus. Nam nulla est vera sanctitas sine desiderio perfectæ sanctitatis.

3. Quia vocati sumus ad perfectam sanctitatem, neque possumus Deum sine illa videre.

Usus Redargutionis, Eorum qui in tepida quadam professione quiescunt, aut in partiali praxi pietatis & sanctitatis.

Docum. III. *Multum facit ad pietatem promovendam expectare & properare ad adventum diei Domini.*

Colligitur ex vers. 12, 14. Phil. 3. 20.

Ratio 1. Quia abstrahit animum ab omnibus iis quæ spectant ad mundum præsentem.

2. Quia facit ut præparemus nos mundo futuro, 1 Ioh. 3. 3.

Usus Exhortationis, Ut quantum fieri possit excitemus animos nostros ad spiritualem istam expectationem Domini.

Docum. IV. *Summa curæ illius circa adventum Domini est, ut inveniamur ab ipso cum pace.*

Colligitur ex vers. 14.

Per *pacem* autem intelligitur status ille qui Deo gratus est & approbatus

batus; circa quem non ira, sed benignitas & gratia Domini versatur ad omnem felicitatem communicandam.

Ratio. 1. Quia Dominus expectatur ut summus Judex, cujus ira fugienda est, & approbatio maxime quærenda.

2. Quia nisi tum habeatur pax, postea in æternum non potest haberi.

Usus Exhortationis, Ut dum hic vivimus perpetuo quæramus pacem coram Deo & in propriis conscientiis confirmare. Hoc autem fit suscitando in nobis fidem & fiduciam vivam, ad stabilienda corda nostra cum omni certitudine salutis, & illa omnia colendo quibus nostra vocatio & electio redditur certa.

Docum. V. *Ex Dei patientia debemus illa colligere quæ faciunt ad pacem & salutem promovendam.*

Colligitur ex vers. 15.

Cum enim Apostolus monet ut Dei longanimitatem salutem ducamus, vult ut ita de istiusmodi rebus judicemus ac disputemus apud nos ipsos, ut nihil aliud inde concludamus quam salutem nostram à Deo spectari, atque adeo à nobis etiam maxime debere curari.

Ratio. Quia his meditationibus & fiduciam & sanctificationem nostram debemus confirmare & promovere: Ratiocinationes enim nostræ cum rectè diriguntur vel à verbo, vel ab operibus Dei, tanquam à tertio argumento ad firmitatem fidei & studium sanctitatis, tanquam ad conclusionem inde deducuntur, sunt morales illa media quibus salutem nostram operamur in timore & tremore.

Usus Exhortationis, Ut magis magisque exerceamus nos in hujusmodi meditationibus: ex illis enim assuefacti, mel & medicinam colligemus unde alii venenum hauriunt, ut in isthoc exemplo patet, ubi ex dilatione adventus Domini homines impii concludebant illa quibus profanas suas opiniones confirmarent: sed fideles docentur ex adverso eodem argumento illa concludere quæ maxime faciunt ad ipsorum salutem. Talis est admonitio Apostoli, Rom. 6. 12.

Docum. VI. *In Apostolorum & Prophetarum scriptis, ad illa præcipue Christiani debent attendere, quæ maximè ipsos instituunt ad ejusmodi connexiones seu conclusiones.*

Colligitur ex v. 15.

Ubi Pauli testimonium citatur ad istam connexionem confirmandam & illustrandam, & non ad alia probanda, quæ tamen facile possent ex scriptis ejus probari.

Ratio 1. Quia hæc sunt nobis maxime necessaria scitu & usus perpetui.

2. Quia illa fuit sapientia Dei cum Apostolis & Prophetis communicata, ut has veritates maximè frequenter & perspicuè nobis explicarent, quæ ratio est elogii Paulo in textu tributi, *scripsit nobis pro sibi data sapientia.*

Usus Increpationis, Eorum qui libentius multo attendunt ad ea quæ conscientiam hominis aut praxin vitæ parum aut nihil attingunt. Interna homnis inclinatio ac dispositio manifesta apparet ex iis ad quæ inter legendum & audiendum præcipuè attendit: Ut siquis sit linguis tantum deditus, ille nihil observabit præter verba & phrases: Si sit Chronologiæ amans, nihil nisi res gestas

animadvertet, & momenta temporum in quibus gerebantur. Si Disputator sit, laudem suam quærens ex argumentando, nihil notabit præter ea quæ faciunt ad suas controversias: sic homo pius, quamvis alia non negliget, quæ faciunt ad suum finem, mentem tamen præcipuè defixam habet in iis quæ maxime directe faciunt ad pietatem.

Docum. VII. *Ista omnia sic intelligere debemus quasi directe essent scripta nobis.*

Colligitur ex illis verbis, *Scripsit nobis*, Ebr. 12. 5.

Ratio 1. Quia talis fuit sapientia Dei quæ loquebatur in sanctis istis viris, ut illa scripserint quæ æque spectant ad nos, ac ad illos qui tum temporis vivebant.

2. Quia Deus voluit Scripturam esse publicum instrumentum Ecclesiæ non unius tantum, sed omnium seculorum. Omnis ergo pars ejus est regula vitæ mihi & tibi, æque ac illis quibus primò fuit data.

Usus 1. *Admonitionis*, Ne unquam ita versemur in Scripturis quasi in alieno foro, aut in iis quæ pertinent ad alios non ad nos ipsos.

2. *Exhortationis*, Ut excitemus animos nostros ad verbum Dei cum affectu congruo recipiendum. Possumus apud nos facilè cogitare, quomodo commoverentur animi nostri si literas in cœlis Dei manu exaratas & nobis nominatim inscriptas, per angelum quempiam transmissas acciperemus: ad similem plane affectum exercere nos debemus in verbo Dei scripto legendo, & audiendo.

Docum. VIII. *In aliis veritatibus minus nobis necessariis quædam sunt difficilia intellectu.*

Colligitur ex v. 16.

Non enim affirmatur hoc de omnibus Epistolis Pauli, neque de tota una aliqua epistola, ne dum de tota Scriptura (ut Traditionum Patroni, & hostes Scripturæ volunt) sed de paucis quibusdam. Videtur autem præcipue designare quædam eorum quæ Paulus scripsit de adventu Domini, quia ea de re legitur hoc in loco, atque adeo verisimile est illa denotari quæ habentur, 2 Thes. 2. 2.

Ratio 1. Quia quædam sunt mysteria divina, atque adeo à nobis remota, ut quibuscunque verbis explicentur, semper erunt difficilia intellectu.

2. Quia Deus voluit quædam, quæ non sunt adeo generalis & necessarii usus, ex singulari sapientia magis obscure proponi: quæ videtur esse genuina ratio, cur illa de Antichristo, 2 Thess. 2. fuerunt in Ecclesia prima difficilia intellectu. Voluit enim Deus justas ob causas ut Antichristus veniret, & ut plerosque homines lateret, quis esset usque dum advenisset.

3. Voluit Deus exercere industriam, & diligentiam fidelium in scrutandis Scripturis, earumq; sensu eruendo, non ut deterreret homines ab iis legendis sicut Pontificii solent isthoc argumento male detorto. Petrus enim hoc in loco ne vulgus quidem fidelium arcet à legendis Scripturis, imò potius excitat ad omnes Pauli epistolas legendas, quamvis moneat quædam caute in iis esse legenda.

Usus 1. *Admonitionis*, Ne unquam satis habeamus verba Scripturæ novisse, sed omnem operam do-

mus

mus ut genuinum ſenſum earum percipiamus.

2. *Conſolationis*, Ne animos noſtros nimis dejiciamus, ſi quædam in Scripturis minus intelligamus, quia moniti ſumus quod non ulla ſint difficilia intellectu.

Docum. IX. *Sunt indocti & inſtabiles homines qui Scripturam detorquent ad impietatem fovendam.*

Illud enim Apoſtolus vult cum dicit ipſos detorquere Scripturas ſuo ipſorum exitio, non quod exitiale ſit partem aliquam Scripturæ aliter quam oportet explicare, ſed quod ſit perditi hominis propriũ ex verbo Dei argutari adverſus Deum, aut voluntatem ejus. Vocantur autem indocti, non quia ſunt literarum aut artium imperiti, in quibus tales peſtes aliquando poſſunt excellere, ſed quia nunquam efficaciter didicerunt, aut edocti fuerunt illa quæ pertinent ad religionem, ac ſimili ratione vocantur inſtabiles, quia in illa cognitione veritatis quam habuerunt, & profeſſi ſunt, non ſunt ſolidi, neque radices egerunt, ſed ut homines non fundati a ſua profeſſione facile dimoventur.

Uſus Admonitionis, Ut idcirco populus non abſterreatur à legendis Scripturis, ut Pontificii volunt, qui ſemetipſos hoc ipſo indoctos & inſtabiles oſtendunt, quod locum iſtum pernitioſe detorquent, ubi expreſſe monentur, quanto cum periculo id fieri ſoleat. Sed ut inſcitiam & inſtabilitatem omnem deponere ſtudeamus, ut ſic idonei reddamur ad Scripturas cum fructu legendas. Hic enim eſt ſcopus admonitionis, prout in hoc loco ab Apoſtolo adhibetur.

Docum. X. *Finis & ſcopus omnis informationis & inſtitutionis divinæ reſpectu fidelium, eſt ut ſtabiliantur, & creſcant in illa gratia quam acceperunt.*

Colligitur ex eo, quod hæc ſit concluſio hujus Epiſtolæ generalis ut & prioris, quæ æque locum etiam habet in cæteris omnibus epiſtolis & concionibus, reſpectu eorum qui jam ſunt fideles.

Ratio. Quia per vocationem efficacem, fidem, ſpem, charitatem habent ſibi ingeneratam, ita ut principium omnis gratiæ ipſis adſit, neque poſſit quicquam deſiderari præter ejuſdem gratiæ continuationem, confirmationem, & incrementum.

Docum. XII. *Ad ſtabilitatem in gratia conſequenda, neceſſaria eſt præſcientia eorum quæ pertinent ad noſtros animos confirmandos.*

Colligitur ex illis verbis: *Iſtorum præſcii cum ſitis.*

Ratio. Quia quamvis noſtra ſtabilitas pendeat à Deo, & efficaci Spiritus ejus operatione, ſicut eſt in concluſione, 1 Petr. 5. 10. Deus tamen in nobis operatur non tantum per realem efficaciam, ſed etiam prout convenit naturæ intelligenti, docendo, & perſuadendo. Hac autem morali ratione nihil poteſt effici, niſi præeunte ſcientia, & per ſcientiam, ut eſt in textu.

Uſus 1. *Refutationis*, Adverſus Pontificios, qui ignorantiam fovent & laudant in plebe: ſatis hic refutantur ab eo, a quo Cathedram ſe acceviſſe jactitant, ab omni er-

rore immunem. Petrus enim hoc in loco, 1. Exigit ab omnibus fidelibus ſcientiam & præſcientiam, etiam earum rerum quibus confirmari poſſent adverſus profanos homines, & falſos doctores. 2. Præſupponit omnes verè fideles ad quos hæc epiſtola pervenerit fuiſſe jam hac ſcientia præditos. 3. Præſupponit ſuas epiſtolas adeo perſpicuas & faciles eſſe intellectu, ut omnes fideles qui eas legerent piis animis, ex ipſis atque adeo ex Scripturis illa perciperent, quibus præmoniti, præmuniti eſſent adverſus illos ſeductores de quibus agebat.

2. *Admonitionis*, Ne confirmationem & ſtabilitatem ita à Deo expectemus, ut nos interim ſcientiam earum rerum quæ eo ſpectant negligamus, ſed operam omnem navemus, ut & in genere ſciamus illa quæ ſunt abſolute neceſſaria ad ſalutem, & ſingulariter illa quæ ex occaſione alicujus tentationis ſunt nobis neceſſaria in noſtra praxi.

Docum. XII. *Præter ſcientiam opus eſt etiam ad ſtabilitatem gratiæ aſſidua & vigilanti cautione.* Cavete.

Ratio 1. Quia ſcientia eſt inutilis niſi ad praxin redigatur. Praxis autem in rebus arduis non poteſt haberi ſine cura & cautione.

2. Quia muleæ ſunt fallaciæ quibus impetimur, & in Diabolo ejusque organis quæ ſunt extra nos, & in nobiſmetipſis etiam per inenarrabilem quandam fraudulentiam cordium noſtrorum.

Uſus Exhortationis, Ut ſupra omnem obſervationem aliam obſervemus nos ipſos, & illa quæ pertinent ad nos in gratia ſtabiliendos.

Docum. XIII. *Argumenti vim aliquam habere debet apud fideles cavendi à quorundam hominum erroribus, quod ſint homines nefarii, impii, profani.*

Colligitur ex illo titulo, *nefariorum errore.*

Ratio. Quia omnia illa quæ conſentiunt cum impietate ſunt fugienda & cavenda. Illa autem quæ ſingulariter probantur ab hominibus profanis, debent neceſſariò conſenſum habere cum impietate profana.

Uſus Admonitionis, Ut hac ratione inter alios noſipſos muniamus adverſus varios errores qui maximè grati ſunt hominibus profanis.

Docum. XIV. *Stabilitas & incrementum gratiæ ſimul conjunguntur.*

Colligitur ex connexione, v. 17. cum 18.

Ratio 1. Quia ſicut arbores & omnes plantæ atque etiam animalia à quibus hac metaph. deſumitur, creſcendo corroborantur, dum vires majores ac perfectiores acquirunt; ſic etiam fideles.

2. Quia ſtabilitas gratiæ non eſt in eo quod maneat in eodem gradu, ſed ut formetur in ſua natura, cujus una proprietas eſt ut creſcat uſque dum pervenerit ad perfectionem.

Uſus Exhortationis, Ut ſtudeamus ergò ita ſtabiliri, ut poſſimus etiam progredi in omni gratiâ.

Docum. XV. *Illi creſcunt in gratia qui creſcunt in efficaci notitia Domini noſtri & ſervatoris Jeſu Chriſti.*

Vide

Vide cap. 1. v. 2.

Docum. XVI. *Finis & votum noſtrum in omnibus iis, etiam quæ pertinent ad noſtram ſalutem, debet eſſe æterna gloria Dei in Chriſto.*

Colligitur ex ultimis verbis.

Ratio 1. Quia ſumus emptitii ſervi Chriſti: ſervi autem quicquid acquirunt aut agunt cedit in peculium Dominorum.

2. Quia Deus eſt abſolute ſummum bonum.

3. Niſi hoc fiat, quicquid agimus non eſt ex religione. Religionis enim natura eſt tribuere gloriam Deo.

Uſus Exhortationis, Ut magis magiſque animos noſtros ſurſum tollamus ad Dei gloriam in omnibus fovendam, ſicut Apoſtolus facit particula obſignante, *Amen.*

FINIS.

GUIL. AMESII
CONCIONES
ALIQUOT
IN
Selectiora aliqua Sacræ Scripturæ loca.

GUIL. AMESII
CONCIO PRIMA

In Locum Matthæi cap. 6.

Vers. 33. *Sed quærite primo regnum Dei, & justitiam ejus, & ista omnia adjicientur vobis.*

DOminus noster Iesus Christus postquam avocaverat suos ab inordinata cura circa res corporales, instituit eos his verbis in suâ curâ recte & ordinate dirigenda. Quuia hujus ordinationis defectus est causa illius inordinatæ curæ. 2. Quia hæc ordinatio tollit illam inordinationem. 3. Quia hac via illa eadem quamtumsatis est obtinentur, quæ inordinata cura quæri solent ab hominibus mundanis. Connexio horum verborum indicatur illa particula *sed* oppositionem harum curarum denotante. Ad rectam verò curæ nostræ directionem proponitur & commendatur nobis, 1. præcipuum & unicum ejus Objectum, pietatis, nempe vel Theologiæ praxis, quæ declaratur per suas partes, id est fidem suam & obedientiam tali fidei congruentem, *regnum Dei & justitiam ejus*. 2. Actus quo ferri debemus in illud objectum, intensissimum nempe studium & appetitus, illo verbo, *Quærite* 3. Grádus hujus actus, quod debeat esse summus. 4. Ratio impellens & movens ad hoc officiũ, quæ petitur à consequenti ejus adjuncto, suppeditatione nempe omnium aliorum necessariorum. *Et ista omnia adjicientur vobis.*

Explicatio Terminorum.

1. *Regnum Dei* est status ille spiritualis ad cujus participationem vocantur homines per dispensationem Dei in Christo.

2. Status iste vocatur regnum Dei propter excellentiam quandam singularem, quæ non in dispensatione ejus à parte Dei & Christi tantum, qui sunt authores & gubernatores ejus, sed etiam in illius dispensationis fructu, qui inde in omnes hujus status participes redundat, qui ita sunt hujus regni subditi ut etiam aliquo modo sint reges, Apoc. 1. 6.

3. In ipsa dispensatione singularis apparet excellentia, tam quoad regem Deum & Christum, inde regnum Dei & Christi vocatur; quam quoad bona illa quæ communicantur, unde regnum gratiæ, gloriæ, & cælorum vocatur; & etiam quoad modum scilicet regiminis & subjectionis, unde regnum justitiæ, lucis & precum vocatur, Claves habens spirituales quibus clauditur aliis, & aliis aperitur, Sigilla quibus omnia privilegia obsignantur, & ejus omnimodam civium subjectionem tam quoad animos, quam quoad corpora eorum. Quæ administratio per verbi prædicationem, Ecclesiæ constitutionem, sacram administrationem & Ecclesiasticæ disciplinæ procurationem, metonymicè etiam vocatur regnum Dei.

4. Hæc

4. Hæc autem omnia quia per fidem ſolam efficaciter & ſalutariter participantur, idcirco regnum Dei, prout à nobis participatur hac in vita, unum & idem eſt cum fide.

5. *Juſtitia ejus*, ſive intelligatur de Juſtitia Dei, ſive de juſtitia regni Dei, unum & idem eſt hoc in loco cum illa Juſtitia quæ opponitur phariſæorum juſtitiæ, cap. 5. 20. & in eadem hac concione prolixius explicatur de eadem juſtitia obedientia Deo præſtanda.

6. *Quærere*, quamvis ſpiritualiter explicatur, accipitur pro omni voto, affectu, ſtudio & conatu ferri in hoc vel illud, tanquã in rem ſummè neceſſariam & ſummum noſtrum bonum. Quærimus enim ſpiritualiter deſiderando, inveſtigando, precando, & conando, ut conſequamur illud, quo caremus. Apparet ex verſ. 31, 32. Ubi ſollicitus eſſe de re aliqua & eandem quærere accipiuntur eodem ſenſu.

7. *Primo quærere* non neceſſario ad ſecundum aliquod ejuſdem generis refertur. Sic enim nullus eſſet primo genitus, niſi ſecundus naſceretur; ſed eſt ita quærere, ut nihil prius aut pariter quæratur. Unde eſt ut non inſtituamur alia quærere ſecundo, ſed expectare tantum ut à Deo nobis ſuppeditentur.

8. *Adjici*, autem dicuntur alia, quia hic non reputantur in ordine quærendorum, ſed tanquam leviora quædam ipſis adjungenda, ad infirmitatem noſtram in hac vita ſublevandam.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Status fidelium in Eccleſia Chriſti eſt regnum Dei.*

Colligitur ex his verbis, *Regnum Dei.*

Ratio. 1. Quia regimen hic exercetur divinum, & ordinatio rerum omnium maxime perfecta, Pſal. 96. 10, 13. rectiſſima, N. B. & 99. 4. 2. Quia in hoc regimine omnia pendent ex authoritate, & ſolius Dei virtute, tanquam unici Regis & legislatoris, Iac. 4. 12. 3. Quia ſubjectio & obedientia illa, quæ in iſthoc regno exercetur, eſt maximè voluntaria, Pſal. 47. 10. 4. Quia divino modo hic omnia diſpenſantur, non viribus & conſiliis humanis, ſed per ſpiritum & verbum Dei, Zach. 4. 6. 5. Quia per hanc diſpenſationem Deus vindicat & liberat ſuos ab omni malo, Pſ. 47. ult. v. 84, 12. Luc. 1. 71, 74. 6. Quia per eandem diſpenſationem fidelibus non tantum intenditur, ſed etiam certiſſimè præſtatur omne robur, pax & beatitudo, Pſ. 99. 11. 29. 11. Luc. 1. 79.

Uſus 1. *Informationis*, Ne ſecundum externam ſpeciem, ſed veritatem hanc judicemus, de Eccleſiæ & omnium fidelium ſtatu tanquam vere beato, Pſal. 146. 5, 10.

2. *Admonitionis*, Ne inordinate vivamus ſecundum cupiditates noſtras proprias, ſed prout convenit regno Dei, Pſal. 93. 1, 5. Col. 1. 10.

3. *Exhortationis*, Ut cum fiducia erigamus animos noſtros ad Deum in Chriſto tanquam ad regem noſtrum omnipotentem ac fidelem, qui liberabit ſuos ab omni malo & omne bonum ipſis communicabit, Pſal. 97. 1, 8.

Docum. II. *In regno Dei Juſtitia regnat*, 2 Pet. 3. 13.

Ratio 1. Quia rex ipſe hujus regni eſt rex Juſtitiæ, Ebr. 7. 2. 2. Quia regni diſpenſatio tota tendit

dit ad demonstrationem Dei Iustitiæ, Rom. 3. 25, 26. 3. Quia leges hujus regni sunt ipsa justitia, Rom. 6. 13, 16, 18, 19. 4. Justitia est necessaria conditio hujus regni, quia sine justitia nemo est hæres regni Dei, 1 Cor. 6. 9. 5. Omnes hujus regni cives fiunt omni modo quo fieri potest justitia Dei, 2 Cor. 5. 21. Eph. 4. 24. 6. Regni hujus finis demonstratio & essentialis perfectio, est in justitia, Luc. 1. 76. Rom. 14. 17. 7. Fructus hujus regni consistunt in justitia, Mat. 21. 43. Isai. 5. 7. 8. Corona denique hujus regni est corona justitiæ, 2 Tim. 4. 8.

Usus Redargutionis, Adversus eos qui primi volunt haberi in regno Dei, & tamen justitiam ejus non sectantur.

Docum. III. *Regnum Dei & justitia ejus debet ab omnibus hominibus quam collato studio quæri.*

Ratio 1. Quia non tantum gloria Dei, sed etiam nostrum bonum summum in istis consistit; hinc thesaurus vitæ, & gemma pretiosa dicitur, Mat. 13. 44. 2. Omnibus hominibus in hac vita vel ex toto vel ex parte desunt, Zeph. 2. 3. 2 Petr. 11. 6. 3. Vocamur à Deo ad hoc regnum & justitiam ejus quærendam, 1 Thes. 2. 12. Actor. 26, 18. 4. Per istam vocationem appropinquat ita, & offertur nobis regnum Dei, ut non possit negligi sine contemptu Dei, & horrendo Dei judicio inde secuturo, Luc. 10. 11. 5. Qui sunt extra hoc regnum Dei, subjiciuntur regno tyrannico peccati, tenebrarum, & mortis.

Usus Exhortationis, Ut missis factis illis omnibus, quæ à mundanis hominibus tam avide quæruntur, spiritualia hac bona proponamus nobis unice quærenda, & hoc propositum in animis nostris quotidie renovemus, & magis magisque confirmemus.

Quæstio. *Quid faciendum est ut regnum Dei quæramus?*

Resp. 1. Sensum vivum debemus habere nostræ indigentiæ spiritualis: nemo enim quærit quod vel putat se habere, vel quod putat se non opus habere, Osæ. 5. 15.

2. Iustam æstimationem debemus nobis comparare regni hujus Dei, quam sit pretiosum in se & nobis necessarium, Matth. 13. 44.

3. Ex istis principiis excitare debemus in cordibus nostris appetitum ardentem, seu desiderium hujus regni consequendi instar famis & sitis, Luc. 2. 25. 38. Luc. 23. 51. ex isthoc desiderio fluunt fervidæ preces. Petere autem & quærere unum idemque sonant, Matth. 7. 7.

4. Clavem hujus regni, qua nobis aperiatur, comparare debemus per veram & solidam cognitionem Evangelii, Mat. 24. 14. Luc. 11. 52.

5. Virtute hujus clavis, non exterius tantum Ianuam hujus regni debemus pulsare, sed ingredi etiam in ejus possessionem per fidem, Matth. 23. 13.

6. Ut in hoc ingressu omnia impedimenta superemus, omnem conatum possibilem cum zelo debemus adhibere, quod per vim & violentiam perrumpendum nobis est in illud regnum, aut violenter est rapiendum, Matth. 11. 12. Luc. 16. 16. Iohan. 6. 27. Huc spectat quod omnia debemus deserere, & omnia vendere, & ollo quodam habere, quæ impediunt hujus regni possessionem, quamvis alias charissima nobis fuerint, Matth. 13. 44. Luc. 14. 26.

7. Ut

7. Ut in isto regno permaneamus, leges ejus observare debemus cum omni religione, Ebr. 12. 28.

8. Per totam vitam id agere debemus, ut de die in diem ampliorem & pleniorem hujus regni acquiramus possessionem, 2 Pet. 1. 11.

9. Regnum hoc Dei non solum in nobismetipsis, sed etiam in aliis debemus promovere, tueri, magnificare & amplificare; idque primo & præcipue propter gloriam Dei, hoc enim significatur ista phrasi formaliter, *Quærite regnum Dei.*

10. Fit autē hoc primò precando, ut regnum Dei adveniat, & magis magisq; promoveatur. Secundò regnum hoc Dei pro facultate nostra & vocatione & occasione prædicando, Mat. 10. 7. Acts 8. 4. Tertiò admonendo, exhortando & acuendo alii alios ad vitam illam, quæ convenit Deo & regno ejus, Coloss. 3. 16. Heb. 3. 13, 10, 24, 25. & 12. 15, 16 Quartò certando pro nostra virili adversus hostes hujus regni, Iud. 3. Quintò operam omnem navando, ut illa quæ pertinent ad hoc Regnum Dei promoveantur, Rom. 16. 1, 26, 9, 10. Ubi commendat Apostolus Phœben sororem, *Ut excipiatis*, inquit, *eam in Domino convenienter sanctis, & adsitis ei quacunque in re.*

Docum. IV. *Regnum Dei non tantum quærendum est, sed & primo omnium quærendum.*

Quod sic intelligendum, ut primum locum habeat in nostra cura. 1. Quoad ordinem naturæ, quia non debet regnum Dei referri ad alia ut subordinatum illis, sed omnia alia ad illud debent referri. 2. Quoad ordinem dignitatis, quia debet quæri sub ratione primi & ultimi boni. 3. Quoad ordinem temporis, quia omnia alia debent istis postponi. 4. Quoad ordinem gradus vel intentionis, quia majori fervore atque intentione animi debet quæri regnum Dei, quam alia quæcunque.

Usus Redargutionis, Adversus præposteros mores eorum, qui vel totos se dedunt temporalibus quærendis, vel illis saltem præcipuam curam impendunt, quod nihil aliud est, quam umbram fugientem boni prensare, substantia neglecta.

Docum. V. *Illis qui regnum Dei quærunt primo, adjicientur hujus vitæ necessaria.*

Ratio 1. Quia pietas habet promissionem hujus vitæ & etiam futuræ, Psal. 37. 4. Hag. 2. 19, 20. 2. Quia benignitas illa Dei quæ dedit nobis summum bonum, non negabit nobis hæc minuta. 3. Quia temporales omnes benedictiones quatenus accidentales fluunt ex benedictione spirituali illa & eidem subserviunt.

Quæstio. *Quomodo fit quod fideles sæpe destituantur necessariis.*

Resp. Quia per accidens contingit, ut illa destitutio magis aliquando faciat ad regnum Dei & justitiam ejus, vel in ipsis vel in aliis promovendam. Hoc igitur non repugnat promissioni divinæ, vel votis deliberatis fidelium, quibus omnia temporalia regna Dei subordinantur.

Usus 1. *Consolationis*, Adversus metus indigentiæ.

2. *Directionis*, Quomodo per fidem pendeamus à Deo, etiam circa temporalia, quærendo scil. Regnum Dei & justitiam ejus.

Finis Concionis Primæ.

GULI-

GUIL. AMESII
CONCIO SECUNDA,

In Locum Johan. cap. 17.

Vers. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

PArticula *hæc* est orationis illius maximè, solennis qua oblatione sui ipsius jam animam depositurus consecravit Dominus noster Iesus Christus, in illa enim petit imprimis à Patre suo illustrationem gloriæ suæ, sub qua comprehenditur manifestatio mysterii personæ, adventus & redemptionis ejus. Hoc autem petit primò intuitu finis, ut patris nempe gloria ab ipso possit illustrari, v. 1. Secundò, ex consideratione muneris, sive officii sibi impositi, quod utrumque ex æquitate, & ratione paritatis postulavit, ut scil. Filius à Patre, & Pater à Filio glorificaretur, verbo *Sicut*. Quia alia ratio non erat ad muneris hujus finem pertingendi quàm communicatio vitæ æternæ iis præstanda quibus erat præparata, v. 2. Necessarium autem connexum glorificationis hujus tam Patris, quam Filii, cum hac vitæ externæ communicatione declarat Dominus ex natura vitæ ipsius æternæ, quæ istis verbis declaratur talis esse, ut ad eam necessario requiratur clarificatio Filii, ut ille clarificet Patrem, & tam Filius quam Pater glorificetur ab hæredibus vitæ æternæ. Continetur igitur his verbis descriptio vitæ æternæ quædam. 1. Quoad actum ejus primarium, quod consistat in cognitione filii, aut fide. 2. Quoad objectum hujus actus, quod duplex statuitur; ultimum scilicet, Deus, prout verus Deus & solus est, & medium seu subordinatum, filius nempe Dei, prout missus est, à Deo Patre & Iesus Christus factus: ex quibus apparet necessarium esse ad vitam æternam ut pater, glorificet filium, trahendo scilicet homines ad cognitionem & fidem ipsius, & ut filius glorificet patrem, eosdem deducendo ad unionem & communionem habendam cum patre, simul autem uterque glorificetur per fidem ab ipsis, qui vitam æternam sunt victuri.

Ut sensus iste clarior fiat, explicandum. 1. Quid sit *vita æterna*. 2. Quid sit *cognoscere Deum patrem, & Filium ejus*. 3. Quo sensu Pater dicatur *solus & verus Deus*. 4. Qua ratione filius dicatur *missus Iesus Christus*.

1. *Vivere* dicitur illud quod in se habet vim aut virtutem perfectiorum operationum edendi. Hinc vita notat. 1. Ipsum principium operationum perfectiorum. 2. Ipsas operationes. 3. Illam perfectionem quæ ex illis operationibus exurgit. Vita autem spiritualis, de qua in hoc loco agitur, hæc omnia simul com-

complectitur, sed immediate & maxime proprie principium illud vitæ, quia hic agitur de tota donatione vitæ, quam Christus præstat electis Dei, vers. 2. Hæc autem donatio incipit à principii illius communicatione: hæc porro dicitur æterna, quia non mortalis, sed perennis, quam nulla unquam mors sequetur.

2. Verba sensus & perceptionis spirituali modo accepta, ut videre, audire, recordari, intelligere & scire, notant in Scripturis non modo sensum aut perceptionem in mente, sed etiam affectum eidem congruentem in voluntate, una cum effectu ejus genuino, quod solet emanare. Inter ista vero tria præcipue & proprie semper designatur affectus voluntatis; quia omnis perceptio intelligendi tendit ad illum affectum tanquam ad suum finem, & effectus fluit ab eo tanquam rivulus a suo fonte. *Cognoscere* igitur hoc & similibus locis quamvis perceptionem intellectus unà cum vita congrua suo modo complectatur, præcipue tamē & directe designat fidē aut fiduciā voluntatis. Hanc explicationē tradit Christus ipse nobis, ubi dicitur, vere norunt & crediderūt. Ratio quia hæc vera cognitio nō est speculativa sed practica; & praxis cognitionis illius, qua novimus aliquid esse credendum, est credere.

Solus verus Deus dicitur Pater, quia ille est verus Deus, cui omnes perfectiones & attributa Dei conveniunt, & nullus essentia diversus à Patre, est eo modo verus Deus: non magis igitur hic excluditur filius, qui est unus cum patre, 1 Joh. 10. 30 ne sit verus Deus, quàm excluditur filius à cognitione sui ipsius, Mat. 11. 27. aut quàm excluditur Pater, ne sit filio æqualis, quando filius dicitur Deus supra omnia benedictus, Rom. 9. 5. Idem Apost. Iohan. qui hæc scripsit, intellexit hac forma loquendi non excludi filium, quasi ille non esset verus Deus, quia Pater est verus Deus, ipse namque expresse testatur ipsum esse verum illum Deum, 1 Ioh. 5. 20.

4. Filius Dei dicitur *missus* à Patre quatenus ex decreto Patris prodiit à Patre; ubi dicitur, est factus caro, Ioh. 1. 14. Venit in mundum, Ioh. 1. 36. sanctificatus & obsignatus ut exequeretur voluntatem Patris, Ioh. 6. 27. 28.

5. A speciali fine hujus missionis, qui fuit, ut salutem & vitam daret credentibus, vocatur Iesus; & à tota illa communicatione spiritus, qua aptus & potens fuit ad istum finem consequendū, Christus, Act. 10. 38.

DOCUMENTA.

Docum. I. *Est vita quædam ad beatitudinem necessaria supra istam quam vivimus ex natura.*

Supponitur hoc in textu, dum vita viventibus quærenda proponitur & describitur talis, qualem nec natura præstat, nec ratio docet.

Ratio 1. Quia vita hæc quam ordine naturæ vivimus manifestè deficit in summi boni acquisitione. Neque enim desideriis nostris satisfacit, neque perfectum hominem reddit, neque denique perpetuitatem quandam habet illorum bonorum, quorum gustum aliquem nobis præbet. 2. Quia non est spiritualis, spiritum hominis elevans ad unionem & communionem cum Deo, ad quem tamen quærendum fuimus creati, & aliquo modo tendimus adhuc ex ipsis principiis naturæ, & vo-

camur ab omnibus creaturis, Act. 17. v. 27. 3. Quia vita hæc naturalis ex peccato variis modis miseriam, mortem & maledictionem habet admixtam & prædominantem.

Usus Convictionis, Adversus mundanos & carnales homines, qui sic acquieſcunt in vita hac & mundanis ejus cupiditatibus, ut ad aliam non adſpirent.

Docum. II. *Vita hæc, quam quærere debemus, eſt æterna.*

In textu. *Hæc autem eſt vita æterna.*

Ratio 1. Quia hæc eſt vita animæ immortalis, quæ non poteſt beata reddi niſi ex vita immortali. 2. Quia ſemen illud ex quo per ſpiritualem noſtri regenerationem hæc vita derivatur, eſt incorruptibile & manens in æternum, 1 Pet. 1. 23. 3. Quia objectum ejus eſt æternum. Hac enim vita vivimus Deo æterno. 4. Quia finis ejus eſt æternus. Idcircò enim ad iſtam vocamur ut in æternum Deum glorificemus & gloriam ejus æternam participemus. 5. Quia cauſæ ejus conſervantes ſunt æternæ, Charitas nempe Dei Patris, interceſſio Filii, & communicatio Spiritus Sancti. 6. Quia debet hæc vita reſtitutionis noſtræ in eo ſuperare vitam creationis, ut non ſit, ſicut prior fuit, caduca. Tum enim non magis bearet nos illa, quam iſta quæ deſinit in miſeriam. 7. Quia eſſentialis proprietas eſt hujus vitæ, liberare nos à morte eamque ſuperare.

Docum. III. *Vita hæc æterna conſiſtit in conjunctione noſtra cum Deo.*

Ratio 1. Quia per ſeparationem noſtram a Deo alienati fuimus à vita & morti ſpirituali ſubjecti, Eph. 4. 18. 2. Quia Deus eſt fons vitæ, Pſal. 35. 10. Sic Ier. 2. 13. Deus enim ſolus vivit in ſe, per ſe, & ex ſe, Joh 5. 26. Cætera omnia viventia vivunt vitam ab ipſo participatam, Act. 17. v. 18. 3. Quia vita ſpiritualis & æterna eſt immediate à Deo. Quamvis enim utatur Deus mediis à ſe inſtitutis ad iſtam vitam communicandam & conſervandam, non tamen illis mediis propriè indit virtutem ſpiritualiter vivificantem, ſicut corporalis vita per talia media communicatur, ſed cum illis mediis ſic operatur, ut ipſemet ſolus vivificet immediate, tam immediatione ſuppoſiti quam virtutis, & media illa tantum præparant & diſponunt vel viam faciunt, ut iſta vita ſuaviter à Deo communicetur. 4. Quia vita Dei, prout in voluntate ejus exeritur & manifeſtatur, eſt exemplaris cauſa vitæ noſtræ ſpiritualis, 1 Petr. 4. 2. 5. Quia Deus eſt adæquatum objectum hujus vitæ ſpiritualis, Roman. 11. 6. Quia æternitas hujus vitæ pendet ex eo, qui ſolus eſt propriè æternus, 1 Thes. 4. 17.

Uſus Exhortationis. Ut unionem & communionem cum Deo quæramus tanquam vitam noſtram, ipſique adhæreamus ſemper in omnibus tanquam vitæ noſtræ.

Docum. IV. *Eadem vita æterna pendet etiam ex conjunctione noſtri cum Chriſto.*

Hæc duo enim in iſto vitæ negotio conjunguntur in textu, *Et quem miſiſti, &c.*

Ratio 1. Quia nemo poteſt venire ad Deum patrem niſi per filium, Joh. 14. v. 6. 2. Quia pater dedit filio, quatenus eſt mediator, ut habeat vitam in ſeipſo, Johan. 5. 26. & ut aliis det vitam, Joh. 10. 18. Quod tacit

facit partim merito ſuo viam faciens ad vitæ communicationem: & partim efficacia ſua, quatenus eſt verus ille Deus, Ioh. 5. v. 11, 12. & 20. 3. Talis eſt unio noſtra cum Chriſto in ordine ad vitam, ut ille ipſe vivat in nobis, Gal. 2. 20 & nos in illo, Ioh. 15. 1, 2. 4. Quod nondum accepimus vita in nobismetipſis, accepimus in Chriſto, Col. 3. 3, & 4.

Uſus 1. *Refutationis*, Adverſus illos qui vitam quærunt extra Chriſtum in ſemetipſis, in imaginationibus ſuis vaniſſimis.

2. *Directionis*, Ut per Chriſtum ſemper adſpiremus ad iſtam vitam, & omnia illa quæ pertinent ad vitã.

3. *Conſolationis*, Erga illos qui ſunt in Chriſto. Illi enim jam habent vitam tranſlati à morte ad vitam.

Docum. V. *Fides in Chriſtum & Deum eſt vita noſtra æterna.*

Sic ſonat in textu, *Hæc eſt vita æterna, &c.* per hoc *cognoſcere* diximus in explicatione intelligi *credere.*

Ratio 1. Quia vita noſtra ſpiritualis debet neceſſario conſiſtere in principio ſpirituali nobis communicato. Hoc autem principium non poteſt aliud eſſe quam gratia Dei, cujus prima relatio atq; adeo denominatio eſt fides. 2. Quia fides in actu ſuo proprio tendit ad vitam. 3. Quia per fidem conjungimur Deo in Chriſto tanquam fonti vitæ. 4. Quia fides eſt inſtrumentum vel medium apprehendens vitam in Deo per Chriſtum. 5. Quia fides ex Deo in Chriſto haurit virtutem bene vel ſpiritualiter Deo vivendi. 6. Quia fides ſuppeditat nobis argumenta quibus efficaciſſime impellimur ac conſtringimur ad vitam Deo dignam agendam. 7. Quia fides eſt victoria noſtra, qua omnia illa ſuperamus quæ vitam noſtram impugnant.

Quæritur, *Quâ ratione ſimul de Deo, de Chriſto, & de fide dicatur quod ſit vita æterna?*

Reſp. 1. Deus eſt vita noſtra objective & effective principaliter, quia vita noſtra conſiſtit in fruitione Dei, (& ſic eſt vita noſtra objective) & hæc ipſa fruitio Dei, eſt donum Dei, & ſic eſt vita noſtra effective.

2 Chriſtus ut mediator eſt vita noſtra effective, quatenus procurat nobis vitam iſtam a Deo, & etiam mediata quadam ratione objective, quatenus Chriſto adhæremus, ut in ipſo fruamur Deo.

3. Fides eſt vita noſtra formaliter, quatenus illud ipſum eſt per quod relativam unionem habemus cum Deo in Chriſto; & etiam effective, quatenus eſt inſtrumentum vel medium tam liberationis à morte quam acceptationis ad vitam, atque etiam quatenus primum principium internum notat omnium operationum vitalium.

Obj. 1. *Fides poſt hanc vitam ceſſabit. Ergo non eſt vita æterna.*

Solut. Fides ceſſabit quoad modum ejus accidentalem, ſed quoad eſſentiam ejus, qua conjungit nos Deo in Chriſto, manet in æternum in viſione vel aſpectu Dei. Tollitur quatenus eſt aliquatenus, non vero quatenus eſſentia. Deinde ſimile Apoſtoli obſerventur: An intellectus infantis ceſſat quando fit vir? Imò perficitur. Quemadmodum fides eorum qui credebant in Chriſtum venturum & poſtea videbant eum veniſſe, manebat una & eadem fides quoad eſſentiam, quamvis mutationem aliquam accidentalem

talem admisit; sic est in fide nostra de Deo videndo & jam viso. Si enim cessaret fides quoad essentiam, sequeretur inde unionem nostram cum Christo eandem quæ nunc est, non mansuram, quod est absurdum.

Object. 2. *Vita æterna non consistit in visione humanæ naturæ Christi quæ est creatura, & non consistit in fide quæ fertur in Christum.*

Solut. Consistit in visione Dei in Christo & per Christum, quod non magis repugnat naturæ visionis beatificæ, quam visio Dei per lumen gloriæ, quod simul etiam aliquo modo videtur, sicut apparet in visione corporali.

Object. 3. *Charitas est vita nostra formaliter, quia est vita & forma fidei ipsius, Gal* 5.6. *Iac.* 2. 26.

Solut. Charitas non potest esse primum principium vitæ spiritualis.

Ratio 1. Quia non attingit Deum secundū quod ex ipso provenit adoptio alicujus boni. Non igitur attingit Deū secundū quod nos vivificat. 2. Quia Charitas vera emanat semper ex fide, tanquā fructus ex radice sua, 1 Tim. 1. 5. non ex causa disponente, sed essentialiter etiam perficiente. 3. Quia Charitas est virtus moralis lege imperata & Angelis & hominibus indita in statu suo naturali, in quo nulla est liberatio à peccato & morte, neque ulla insitio in Christum. Fides autem dicitur operari vel efficax esse per Charitatem, sicut forma ignis efficax est per calorem: Et fides, quæ sine operibus est, dicitur mortua, sicut radix arboris, quæ non fert fructus quando debet, est mortua. Charitas igitur quamvis actus secundus vitæ spiritualis, & sic perfectio quædam ejus finalis, non est tamen actus primus ejus aut perfectio ipsius formalis aut essentialis.

Usus 1. *Consolationis*, erga omnes & singulos fideles. Hæc enim est summa Evangelii, quæ à Christo Domino proponitur ubique & inculcatur, Ioh. 3. 15, 16. Ibid. v. 36. Ioh. 5. 24. 40. Ioh. 6. 40. item 47. item 54. item 58.

2. *Directionis*, in reciprocâ descriptione fidei ex vitâ, & vitæ ex fide, quia essentialis & reciproca est hæc prædicatio: Qui credit vivit, qui vivit credit. Fides discernitur ex vita, quia fides mortua non est fides vera & salutifera. Quemadmodum enim homo pictus aut statua hominis, quamvis habeat aliquam speciem hominis, unde etiam accipit illam denominationem, non est tamen verus homo, quia destituitur vita humana: sic etiam fides illa mortua, quæ habet speciem quandam fidei Christianæ, sed vitam non habet, non est vera fides. Sicut autem omnis vita est actuosa & definitur per motum & mobiles operationes, sic ista vita fidei cōsistit & apparet in homogenea sua operatione. Ubi igitur forma tantum pietatis adest, sed vis & virtus ejus abnegatur, ibi nulla est vera vita fidei, 2 Tim. 3. 5. sic Iac. 2. 26. Apoc. 3. 1. In specie autem de operibus hujus vitæ spiritualis judicare docemur in Scripturis secundum analogiam vitæ nostræ naturalis, vegetativæ, sensitivæ, & rationalis.

1. Discernitur igitur in facultate nutritiva, 1 Pet. 2. 2. sic Ioh. 15. 27. & seq. 2. In auctiva 1 Pet. 2. 2. Ioh. 10. 10. Ephes. 4. 14, & 15. atque etiam aliquo modo in generativa,

Matth.

Matth. 5. 16. 1 Cor. 7. 16. 1 Pet. 3. 6.

2. Discernitur in sensibus spiritualibus 1. In tactu, si ubique Deum quæramus quasi palpando, Act. 16. 27. & ejus præsentiam sentiamus. 2. In gustu, si gustemus quam bonus sit Dominus, Psal. 34. . . sic 1 Pet. 2. 3. & si sapiant nobis illa quæ sunt Spiritus, Rom. 8. 5. 3. In odoratu, si odorem vitæ percipiamus ex Verbo Dei, 2 Cor. 2. 15, 16. 4. In visu, si oculos mentis habeamus illuminatos ad perspicienda mysteria Dei, Eph. 1. 18. 5. In auditu, si aures habeamus ad audiendum perforatas.

3. Discernitur denique in intellectu, si mens sit nobis data, ut cognoscamus Deum in Christo, Ioh. 5. 20. Et in voluntate, si cor habeamus novum cui lex Dei est inscripta. In affectibus denique voluntatis, si amore & odio prosequamur illa, quæ Deus amat & odio habet, Apoc. 2. v. 6. & si spiritualia mala præcipue metuamus & doleamus, & spiritualia dona præcipue ipe & gaudio prosequamur, Col. 3. v. 2.

Quamvis autem ex ordine fides hunc in modum discernatur, datur tamen tempus quando ex deliquio quodam hujus vitæ, in gravi aliqua tentatione cum spirituali desertione conjuncta, vita hæc in sese non appareat, sed discernitur ex fide, Mat. 17. 26. Psal. 22. 1. In tali casu non est extincta plane vita hæc spiritualis, sed abscondita latet: tum vero nihil ferè habet fidelis ad animum suum sustentandum præter Dei misericordiam, & fidem, in quam per fidem suam incumbit ingrediens in ea quæ sunt intra velum, Hebr. 6. 19. Iis autem qui hunc in modum exercentur cavendum est 1. Ne pendeant ex sensu & evidentia vitæ suæ spiritualis, quæ pro tempore vix apparet, sed per fidem solam vivant. 2. Ne illam solam fidem esse veram concipiant, quæ est certa persuasio de remissione peccatorum. Fides firma est certa persuasio, quia eam conjunctam habet, ad eamque tendit: sed si simpliciter accipiatur, noxia conscientiis hominum doctrina est. Hæc enim in gravibus tentationibus & spiritualibus desertionibus solet cessare; sed non illa, quâ toto corde incumbimus in misericordiam Dei per Christum, quamvis certitudo ista persuasionis non statim sequatur.

Quærit. *Quibus mediis vovetur & promovetur ista vita spiritualis?*

Resp. 1. Si verbum vitæ curemus omni modo nobis implantare, Ioh. 6, 7, 8. & copiosè in nobis habitare, Iacob. 1. vers. 21. Col. . . 16.

2. Si omnia illa sedulo fugiamus quæ noxia sunt huic vitæ, 1 Petr. 2. 11.

3. Si vitam istam in suis propriis exercitiis sedulo exerceamus, Rom. 8. v. 2. usque ad 8.

Finis Concionis Secundæ.

GUIL. AMESII
CONCIO TERTIA,

In Locum ad Ephes. cap. 1.

Vers. 16. *Non cesso gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis:*

17. *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater illæ gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem ipsius:*

18. *Illuminatis oculis mentis vestræ: ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis;*

19. *Et quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius.*

DEscribitur hoc in loco oratio Apostoli Pauli pro fidelibus Ephesiis, 1. Ab adjuncta ejus perseverantia, quod sine cessatione fuerit: *non cesso* 2. A distributione ejus in partes, gratiarum scil. actionem, & preces, vel petitionē quæ ex singulari modo specialis applicationis ad ipsos nominatim factæ illustratur, ex illis verbis: *mentionem vestri faciens*. 3. A speciali objecto vel bono quod ipsis precatur, quod est donum Sapientiæ, v. 7. *ut det vobis donum Sapientiæ*. Quæ illustratur 1. Ab autore suo principali Deo scil. à quo est petenda, ut *Deus det &c.* Qui accommodate ad hanc donationem describitur, tam a præparante dispensatione ejus (quâ sc. omnia bona nobis præparavit) qua rationem singularem Dei ac Patris induit ad Christum mediatorem, & in ipso ad eos qui sunt Christi: *Deus Domini nostri Iesu Christi:* quàm à fine & effecto illius dispensationis in gloria fidelibus inde communicanda, *Pater illæ gloriæ*, v. 17. in init. Idem donum illustratur à modo communicationis ejus, revelatione nempe Spiritus, cujus ratione vocatur *Spiritus revelationis*. 3. A causa adjuvante & administrante, id est, agnitione vel fide, v. 17. in fine, *per agnitionem ipsius*. 4. Ab effecto ejus proprio tam habituali quam actuali, quod prius in illuminatione mentis constitit, vers. 18. *illuminatis* (ita ut passivè hic sumatur & notet habitum) quam actuali qui finis est & fructus alterius, *illuminatis oculis mentis vestræ ad sciendū*; quæ scientia illustratur appropriatis suis objectis, quorū singularis excellentia, quæ à mortalibus vix ulla scientia apprehēdi, & ne vix quidē comprehēdi potest admirationis nota ter repetita notatur, *quæ sit*, & *quæ sit*, & denuo *quæ sit*. Hæc autē objecta duo sunt: 1. Bonum illud ad quōd fide & spe aspiramus, quod idcirco metonymicè vocatur spes, *ad sciendum quæ sit spes*, & illustratur tam à proprio suo medio quod est vocatio, *spes vocationis*, quam ab adjuncta copia, gloria & stabilitate ejus, *opes, gloriæ hæreditatis*; atque etiam à subjectis illis, quibus est communicandum, vel ad quos spectat, id est,

est, *sanctis*. 2. Objectum hujus scientiæ & causa illius boni & communicationis ejus, qua etiam nititur fides & spes ad illud bonum consequendum. Hæc autem est potentia Dei: *Et quæ sit supereminens potentia ejus*, quæ illustratur & quantitatis suæ magnitudine, *eminens illa magnitudo*, vers. 19. & appropriato suo objecto, à quo exeritur hæc potentia, illis verbis: *in nobis qui credimus*, (nam alias potentia nihil faceret ad consolationem) atque etiam illustrissimo ejus effecto vel specimine in Christo exhibito, quod respectu efficaciæ ejus in fidelium salute procuranda rationem habet, tam causæ exemplaris, quam testimonii firmissimi illam confirmantis, v. 19. in fine, & sic in seq. ubi est descriptio.

Qu. 1. *Quo sensu dicitur Apostolus Paulus non cessasse orare pro Ephesiis?*

Resp. 1. Quia quoties solemniter oravit, toties pro ipsis oravit, Rom. 1. 10. Col. 1. 3. 2. Quia nunquam hic finem imposuit huic orationi, quin animum retinuerit eandem repetendi. 3. Quia statis horis quotidie orare solebat, ita ut frequentissima illa repetitio fuerit aliquo modo continuatio non intermissa. 4. Quia affectus ille in quo virtualiter hæc oratio continebatur, quoad habitum suum, nunquam omninò cessabat.

Quæst. 2. Ex v. 17. *Quare tam accurate describit Paulus Deum potius in ordine ad petitionem, quam in ordine ad gratiarum actionem?*

Resp. 1. Quamvis maxime directe referatur hæc descriptio ad petitionem Apostoli, implicite tamen etiam refertur ad gratiarum actionem, quæ cum illa petitione conjuncta fuit arctissime & intime, *non cesso &c. mentionem faciens.* 2. Ad petitionem refertur magis directe, quia scopus Apostoli hoc in loco fuit excitare Ephesios ad ampliorem gratiam à Deo petendam, ad quam petitionem rectè instituendam dirigit & instituit eos sub proprio suo exemplo.

Quæst. 3. *Quo sensu vocatur hic Deus, Deus Christi & Pater gloriæ?*

Resp. 1. Deus dicitur Christi, non ratione naturæ divinæ aut personæ Christi, sed ratione assumptæ naturæ & officii mediatoris. Humana enim natura Christi habet Deum creatorem & conservatorem, quemadmodum aliæ creaturæ & gubernatorem; atque etiam salutis & gloriæ autorem, sicut homines fideles & pii, Mat. 27. 46. Ioh. 20. 17. *Ascendo ad Patrem meum, &c.* Christus etiam ut mediator habuit Deum præordinatorem, missorem, & sanctificatorem vel unctorem. 2. Dicitur autem Pater gloriæ, quatenus est autor omnis gloriæ per Christum, id est, redemptionis, vocationis & vitæ gloriosæ. Pater enim sicut & aliquando etiam Deus in Scripturis, cum refertur ad creaturas inanimatas, notat causam efficientem principalem, Iob. 38. 28. dicitur Pater pluviæ, 2 Cor. 1. 3. ubi & Deus & Pater dicitur & miserationis & consolationis. Quamvis igitur Deus dicatur Deus, Dominus, vel rex gloriæ, quia ipsemet est plenus gloriæ & majestatis, Act. 7. 2. 1 Cor. 2. 8. Ps. 24. ubi sæpius repetitur illa vox rex gloriæ, id est, gloriosus; Pater tamen gloriæ vocatur, quia alios facit gloriosos.

DOCUMENTA.

Docum. 1. *Perseverandum est in oratione absque cessatione.*

Id est, in oratione debemus esse. 1. Assidui certis temporibus ex ordine huic officio destinatis. 2. In eadem oratione iteranda & urgenda debemus esse constantes. 3. Ad omnem occasionem orandi debemus esse prompti ac parati. Ista enim omnia directe opponuntur cessationi, atque adeo ex ejus negatione affirmantur.

Primum, inde apparet 1. Quia jubemur expresse panem nostrum quotidianum quotidie petere à Deo, & sic omnia illa quæ vel æquè vel magis sunt petenda, Matth. 6. 11. 2. Quia expresse jubemur omnibus diebus vitæ nostræ Deo inservire, Luc. 1. 65. Servitii autem & cultus divini pars magna consistit in oratione quotidiana. 3. Quia expresse etiam jubemur perpetuo orare hæc 1 Thes. 5. 17. quod nemo in conscientia sua judicare potest se feciſse qui integrum diem transigit sine oratione. 4. Quia singulis diebus vita nostra aliquo modo renovatur, & eo nomine de novo debemus Deo vivere, cujus vitæ actus primarius est oratio. 5. Quia quotidie redeunt eædem occasiones orandi, Mat. 6 34. sufficit &c. 6. Quia unius diei neglectus trahit secum incommoda & pericula magna. Nam inde sequitur spiritualis cõsumptio, & omnis vigoris spiritualis, & etiam est per se tentatio inducens ad omnium dierum similem neglectum. 7. Quia communis hæc semper fuit praxis & quasi instinctus omnium eorum in quibus fuit vigor aliquis pietatis veræ, Psal. 55. 18. & 119. v. 164. Dan. 6. 11.

Secundum, constantia ubique urgetur à Domino variis parabolis, Luc. 10, 11, 18. cap. *Ratio* quia 1. Medii alicujus usus nunquam est sufficiens usque dum finem suum fuerit consecutus. 2. Non tantum fides, spes, charitas, sed etiam constantia & patientia harum virtutum debet in oratione ostendi & exerceri. 3. Multæ sunt difficultates tam intra nos quam extra, quæ sine invicta constantia superari non possunt. 4. Promissiones non pertinent nisi ad perseverantes.

Tertium, de capienda occasione orandi ex eo consentaneum esse declaratur, 1. Quia precibus debemus excubare, Eph. 6. 18. & invigilare. 2. Quia dispositionis internæ fervor movet semper ad ansam quamlibet arripiendam, qua semetipsum exercere possit, & occasionis talis neglectus inditium est, vel nullam vel languidam saltem dispositionem internam subesse. 3. Quia in istis occasionibus continetur nutus, invitatio & vocatio quædam divina, quæ negligi non potest absque peccato.

Usus Redargutionis, Adversus indignissimum neglectum hujus officii, qui tantus est, ut non satis possit declarari aut deplorari.

Docum. II. *Orandum est pro eliis, specialiter pro domesticis fidei, & præcipue pro illis, qui singulari relatione sunt nobis magis conjuncti quam alii.*

Colligitur ex illis verbis *pro vobis*, tanquam pro hominibus primo, secundo tanquam pro fidelibus, tertio pro Ecclesia, cujus ille singularem curam habuit, quatenus fuit Apostolus gentium.

Ratio 1. Quia oratio est opus charitatis. atque idcirco debet ad alios extendi, & quantum fieri potest communicari. 2. Quia etiam pars est primaria communionis sanctorum

rum, atque idcirco ſpecialiter pertinet ad ſanctos, id eſt, ad domeſticos fidei. 3. Quia Deus quoſdam magis quam alios per ſingularem quandam conjunctionem aut communionem nobis & noſtræ & charitati commendavit, idcirco cæteris paribus, pro iis præcipue debemus orare.

Uſus Exhortationis, Ad mutuum hoc officium, in quo charitas veri Chriſtiani præcipue exercetur, elucet & efficax evadit.

Docum. III. *Pro aliis orantes debemus gratias agere Deo, prout videmus beneficia ejus in homines collata.*

Colligitur ex illis verbis, *gratias agentes.*

Ratio 1. Quia religio erga Deum poſtulat, ut ipſius nomen celebremus & honoremus de bonitate ejus ubicunq; declaratur. 2. Quia charitas erga homines exigit, ut ipſis congratulemur, quando bonitatem Dei ſibi communicatam habent, 1 Cor. 12. 26. 13. 6. 3. Quia ratio poſtulat, ut gratias Deo agamus, quando ille concedit, quod nos ab ipſo petivimus, 2 Cor. 1. 11. 4. Quia beneficentia Dei erga alios, ſpem & fiduciam noſtram confirmat, atque adeo intime pertinet ad noſtram conſolationem.

Uſus 1. *Exhortationis*, Ad hujus officii curam, in quo genuina indoles ſpiritus gratiæ ſingulariter apparet.

2. *Graviſſimæ Redargutionis*, Adverſus eos qui tantum abſunt ab hoc officio congratulationis præſtando, ut maligne & invide afficiantur erga illos, quos vident ſingulariter à Deo auctos gratia & donis.

Docum. IV. *Pro eiſdem illis, quorum nomine Deo gratias agimus de gratiis ipſis communicata, debemus etiam precari ut amplius communicetur.*

Ratio 1. Quia idem charitatis affectus, qui movet ad congratulandum gratiæ communicatæ, movet etiam ad optandam & quærendam ampliorem ejus communicationem. 2. Quia ſicut guſtus bonitatum Dei in nobis metipſis deſiderium ejus adauget, 1 Pet. 2. 2, 3. Sic etiam ſi eandem bonitatem aliis communicatam, ut nobis jucundam & ſuavem guſtemus, deſiderium amplioris communicationis excitabit. 3. Quia illi, qui per gratiæ participationem liberati ſunt aliquo modo à ſpiritu impuro ſingulariter ab ipſo impugnari ſolent, ut reverti poſſit in domum ſuam, Luc. 11. 24. 4. Quia contemplatione gratiæ communicatæ ſpes confirmatur de ampliore gratia communicanda, tam ex conſtantia Dei in gratia communicanda, 1 Cor. 1. 8, 9. quam ex promiſſione illa Chriſti, *habenti dabitur*, Mat. 25. 29. 5. Quia iſta gratiarum actio, de gratia concepta, eſt efficax medium amplioris gratiæ obtinendæ, atque adeo precibus eo dirigendum, Prov. 3. 9, 10. Phil. 4. 6, 7.

Uſus Increpationis, Adverſus dimidiatam illam devotionem, quam ſæpe exercemus, non tantum erga alios, ſed etiam erga noſmetipſos, dum partes has orationis à Deo conjunctas ex negligentiâ noſtrâ ſeparamus.

Docum. V. *In precibus noſtris decet nos ex occaſione nominatim mentionem facere eorum, pro quibus oramus.*

His verbis *mentionem veſtri facicns.*

Ratio 1. Quia hæc ſpecialis applicatio congruit orationi ſpeciali & diſtinguit eam à generali. 2. Quia per iſtam ſpecialem commemorationem,

nem, ſpecialis ille affectus, qui ad talem orationem requiritur, magis declaratur, & aliquando etiam excitatur. 3. Quia hac ratione ſimul commemorantur argumenta efficaciſſima ad ſpem noſtram confirmandam & preces urgendas, 1 Theſ. 1. 23.

Uſus 1. *Informationis*, quod non debeamus in ullis certis formulis orationum acquieſcere, ſed orationes eligere ſecundum occaſionem noſtram & aliorum.

2. *Exhortationis*, Ut libertate à Deo nobis condonata & ipſi grata piè & ſancte utamur.

Docum. VI. *Multum juvat in precibus noſtris illa in Deo ſingulariter & nominatim ob oculos habere, quæ directè faciunt ad votorum noſtrorum expletionem.*

Colligitur ex verſ. 17. In princ. ubi Apoſtolus, dum precatur glorioſa quædam dona iis qui credebant in Chriſtum, Deum ſibi & illis proponit apprehendendum prout in Chriſto gloriam præparavit omnibus credentibus in ipſum. Obſervatum hoc olim in ſolennioribus precibus, ut eminens aliquod opus Dei, quaſi titulus ejus in iſtum finem commemoraretur: ſic in princip. invocabant Deum ſub nomine excelſi creatoris & poſſeſſoris cœli & terræ, Gen. 14. 19. poſtea ſub titulo Dei Abrahami, Iſaaci & Iacobi. Deinde adjungebatur commemoratio eductionis ex Ægypto: poſtea poſt captivitatē Babylonicā, loco eductionis ex Ægypto, commemorabant reductionem ex terra Aquilonis, Ier. 16. 14. Ier. 23. 7. In novo autem Teſtam. præcipuus titulus eſt *Deus & Pater D. N. I. C.* ut hoc in loco, ſed præter ſolennes iſtos titulos, ſingulares etiā adhibentur à ſanctis prout occaſio ſpecialis fert. Sic Chriſtus orans pro ſanctificatione ſuorum, invocat patrem ut patrem ſanctum, Joh. 17. 11. 17. Paulus celebrans conſolationem quam acceperat à Deo, appellat eum patrem miſerationum & Deum omnis conſolationis, 2 Cor. 1. 3. 4. Pacem Eccleſiis petens invocat Deum ut Deum pacis, 1 Theſ. 5. 23. Sicut & Petrus gratiam fidelibus vovens Deum appellat omnis gratiæ Deum 1 Pet. 5. 10.

Ratio 1. Quia hac ratione illud ipſum quod petimus in Deo tanquā in fonte contemplamur. 2. Quia hoc facto effectum illud demonſtratur à ſua propria cauſa, & fit cognitio ejus magis clara & plena evadit. 3. Quia ſimul etiam primarium argumentum apprehenditur & adhibetur ad fiduciam noſtram confirmandam de iis quæ petimus impetrandis. 4. Quia ſic Deum per ſe ipſum & ſuam gloriam quaſi obteſtamur, ut illud quod ab ipſo petimus perficere velit. 5. Quia hic etiam accenditur in cordibus noſtris ſingulare ſtudium conſtanter illud quærendi ad quod à Deo ipſo invitamur.

Uſus Directionis, Ut exerceamus nos in hac arte precandi, ex qua ſancti omnes ſingularem ſuavitatem cum ſolido fructu perceperunt.

Docum. VII. *Inter illa bona, quæ nobis & aliis etiam fidelibus debemus precari, primarium locum habet illuminatio ſpiritualis efficax & vivax.*

Colligitur ex verſ. 17, 18. Ad hanc autem illuminationem requiritur 1. idonea & apta revelatio veritatis credendæ, non tantū per inſtitutionem externam, ſed etiam per internam,

ternam, Mat. 16. v. 17. Purgatio oculi mentis, ab iis omnibus imaginationibus & ratiocinationibus vanis, quibus tanquam glaucomatis aut suffusionibus oculus intellectus impeditur, quo minus percipiat veritatem credendorum, 2 Cor. 3. 15. & 16. cap. 4. v. 4. *excæcavit mentes.* 3. Corroboratio & elevatio intellectus nostri, qua fit, ut valeamus percipere supernaturales illas veritates, quarum homo animalis non est capax, Ephes. 3. 16, 17. 4. Actualis directio & applicatio mentis ad illa spiritualia intuenda, quæ pertinent ad nostram pacem, Luc. 19. 42. Luc. 24. 31. 5. Renovatio & inclinatio voluntatis ad praxin scientiæ congruentem, Ioh. 13. 17. Ps. 143. 10.

Ratio 1. Quia tanta excellentia est spiritualium rerum quæ sunt à nobis cognoscendæ, ut nemo sit idoneus rite ut illa percipiat, absque singulari auxilio Dei, 1 Cor. 2. 14. 2. Quia nos ex naturæ corruptione sumus tenebræ, Eph. 4. 18. 5. 8. & ipsi fideles ex parte tantum sunt illuminati 1 Cor. 13. 9 2 Petr. 1. 19. 3. Quia multæ sunt tenebræ tam in hoc mundo, quam in nobis ipsis quæ extollunt sese adversus cognitionem Dei, 2 Cor. 10. 5. 4. Quia non possunt istæ tenebræ illuminari, nisi per irradiationem perpetuam luminis primi & summi, Ps. 36. 10. Iac. 1. 17. 5. Quia hæc irradiatio per preces & impetratur, Iac. 1. 5. & etiam ipsi animæ precanti insuper procuratur, quatenus in oratione ita constituitur coram Deo, ut radii lucis ejus directe in ipsam ferantur.

Usus 1. *Redargutionis*, Adversus eos qui nullum defectum sentiunt hujus illuminationis.

2. *Exhortationis*, Ut assidue, diligenter & ardenter istam gratiam, tam nobis quam aliis, precemur.

Docum. VIII. *Illuminatio ista spiritualis singularem quandam connexionem habet cum agnitione Dei in Christo.*

Colligitur ex v. 17. in fine.

Ratio 1. Quia hæc agnitio Dei in Christo est proprium effectum illuminationis divinæ, 1 Ioh. 5. 20. 2 Quia eadem agnitio est causa ministrans amplioris illuminationis, 2 Pet. 1. 2. Hoc autem ex eo fit, 1. Quod per hanc agnitionem fidei omnem gratiam ex Deo in Christo haurimus tanquam ex fonte. 2. Quod quo magis Deum in Christo agnoscimus, eo magis habitat in cordibus nostris & omnimodam virtutem salutiferam exerit in nobis, Eph. 3. 17, 18. 3. Quod hac agnitione purificentur corda nostra ab illis cupiditatibus, quibus oculi mentis obtenebrari solent, Eph. 4. 18. 4. Quod hæc agnitio excitat preces & efficaces conatus illuminationem ampliorem consequendi. 5. Quia plena illa agnitio, in qua consistit perfectio nostra spiritualis, ex plena illuminatione procedit, Eph. 4. 13. Col. 1. 9. 10, 11.

Usus Directionis, Ut omne illud lumen quod accepimus, applicemus ad istam agnitionem promovendam, & per istam agnitionem ad majus lumen aspiremus.

Docum. IX. *Ex illuminatione & auxilio gratiæ divinæ præcipue aspirandum est, ad cognitionem beatitudinis futuræ.*

Colligitur ex vers. 18. *Quæ sit*, &c. ad cognitionem autem hujus beatitudinis requiritur primò, ut intelligamus simpliciter eam, quæ, qualis,

qualis, quanta sit in seſe: secundò ut simul etiam relatè cognoscamus eam tanquam nostram. Cognoscendum igitur in genere. 1. Quod beatitudo hæc sit status bonorum omnium aggregatione perfectus. 2. Quod consistat in remotione omnium malorum quibus obnoxii sumus in istac vita, & in exhibitione benedictionum omnium quas Deus fidelibus promisit. 3. Cognoscendum in specie quod proprie consistat in fruitione Dei perfecta, quam pax, gaudium & vita omni ex parte perfecta comitantur. 4. Quod supernaturalis plane sit & præcipue spiritualis quamvis etiã ad corporis glorificationem extendatur. 5. Quod & æterna sit vel immortalis, & etiam suo modo infinita. 6. Quod nobis fuerit ante jacta mundi fundamenta præparata, in vocatione nostra oblata, donata, apprehensa, inchoata, & suo tempore plene & certo communicanda, idque ex mera gratia Dei.

Ratio 1. Quia hæc est primaria pars fidei nostræ, in qua per istam cognitionem exædificamur. 2. Quia hæc cognitio facit, ut Deum hujus beatitudinis autorem, majori cum zelo studeamus glorificare. 3. Quia facit etiam ad hujus mundi, & mundanarum omnium rerum abnegationem. 4. Quia porro excitat & exacuit affectus nostros, ut versus hunc scopum cum omni contentione feramur. 5. Quia dum gloriam hanc intuemur in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, 2 Corinth. 3. vers. ultim.

Usus 1. *Redargutionis*, Adversus eos qui terrestribus intenti parum aut nihil cogitant de beatitudine cœlesti.

2. *Exhortationis*, Ut omni modo studeamus istam cognitionem cum efficacia sua in cordibus nostris promovere.

Docum. X. *Beatitudinem hanc futuram cognoscere & apprehendere debemus tanquam certum finem & effectum nostræ vocationis.*

Colligitur ex illis verbis, *quæ sit spes illa vocationis ipsius*, hoc est, apprehendi debet, 1. Ut finis & bonum quod Deus vocans vocatis intendit. 2. Ut finis quem vocati sibi proponunt quærendum. 3. Ut finis, ad quem ipsa vocatio sua natura tendit. 4. Ut finis quem Deus certo dabit effectum, & nos vocati per ejus gratiam certo consequemur.

Ratio 1. Quia hac ratione Deo tribuimus gloriam illam fidelitatis quæ ipsi debetur, 1 Cor. 1. 9. 2. Quia ex tali consideratione fidelitatis Dei fides nostra excitatur & confirmatur, Tit. 1, 2. Heb. 10. 13. 3. Quia ex eadem consideratione per fidem firmam assequimur consolationem & gaudium, Hebr. 6. 18. 1 Pet. 1. 6. & 8. 4. Quia hoc pacto specialiter excitamur ad omnem gratitudinem erga Deum, qui nos ad tantam beatitudinem vocavit, 2 Thes. 2, 13, 14. 5. Quia hoc argumento efficacissime excitamur ad omne studium pietatis, ut vita nostra sit digna tali vocatione, id est, ut eidem convenire & congruens esse possit, Eph. 4. 1. Phil. 1. 27. Col. 1. 10. 1 Thes. 2. 12. 2 Thes. 1. 11. 6. Per istam considerationem singulariter excitamur ad hujus mundi bona contemnenda & mala ejus patienter ferenda, Phil. 3. 19.

&

& 20. Roman. 8. 18. 1 Petr. 5. 10.

Usus directionis, ad vocationem noſtram certam ac firmam faciendam, eamque ſæpe multumque perpendendam, ut ſic beatitudinis noſtræ pleniorem apprehenſionem acquiramus.

Docum. XI. *Cognoſcenda etiam & apprehendenda beatitudo, tanquam bonum illud, ad cujus ſpem ſingulariter vocamur.*

Colligitur ex illis verbis: *quæ ſit ſpes.* Quemadmodum enim fides ponitur in Scripturis ſæpe pro iis rebus quæ creduntur, ſic etiam ſpes pro rebus ſperatis non tantum hoc in loco, ſed & Rom. 8. 14. Col. 1. 5. ad Tit. 2. 13. & hæc eſt Metonymia uſitata, & in omni lingua frequentata, qua præcipuum affectus alicujus objectum ipſius affectus nomen ſortitur, propter intimam relationem & unionem quæ inter vehementem affectum & ſuum objectum intercedit.

Ratio 1. Quia dum ſic apprehenditur à nobis beatitudo, ſtatuimus hoc ſolum objectum dignum eſſe, in quod ſpes noſtra figatur. Cætera vero caduca & tranſitoria, quibus inhiare ſolent homines mundani, potius contemnenda eſſe quam ſperanda, ſi cum beatitudine noſtra futura comparentur: & revera beatitudo ita eſt objectum ſpei divinæ, ut cætera non ſint ſperanda niſi in ordine ad illam: ſic autem auxilium divinum, mitigatio malorum & benedictiones omnes, ſunt ſecundaria ſpei objecta. 2. Sic beatitudinem apprehendimus ut noſtram, per ſcil. & expectatione certa, quæ tum recipit, ut nobis paratam & repoſitam apud Deum in cœlis, Col. 1. 5. 3. Quia hac ratione ſpes ipſa in nobis vivax redditur & læta, 1 Pet. 1. 3. Rom. 5. 2. Rom. 12. 12. Heb. 3. 6. 4. Quia ſimul etiam hoc pacto inſtituimur ad invictam patientiam in hac beatitudine expectanda, Rom. 8. 25. 1 Theſ. 1. 1. 3. 5. Quia denique per iſtam conſiderationem efficaciter excitamur, ut omni ſtudio præparemus noſmetipſos ad tanti boni poſſeſſionem adeundam, 1 Ioh. 3. 3.

Uſus Directionis, ut ſimul & magis magiſque vitam æternam ſperare annitamur, & etiam in illius ſpei contemplatione animos noſtros ſæpe multumque defixos teneamus.

Docum. XII. *Cognoſcenda & apprehendenda beatitudo tanquam hæreditas noſtra gloria excellens & abundans.*

Collig. ex v. 18. in fine. Ubi hæreditatis appellatio ad certam ſpeciem determinat bonum ſperatum. *Gloria* autem notat excellentem qualitatem illius hæreditatis, quod non ſit vulgaris alicujus poſſeſſionis, ſed regni glorioſi. *Opes* vero ſignificant quantitatem, gradum & menſuram illius gloriæ, ſicut v. 7. menſura gratiæ eadem voce notatur.

Ratio. 1. Quia ſic apprehenditur tanquam donum Dei gratuitum ex adoptionis gratia nobis in Chriſto certiſſime communicatum, Rom. 8. 17. Filius enim tria præcipue accipit à Patre. 1. Vitam & exiſtentiam procreatam ac conſervatam. 2. Imaginem Patris, quæ ipſum magis aut minus ſolet referre. 3. Hæreditatem pro conditione & facultatibus Patris ſui. Sic etiam fideles vitam accipiunt in ſua regeneratione: Imaginem Patris induunt in ſua ſanctificatione: Hæreditatem

reditatem ejus adeant in ſua glorificatione. 2. Quia ſic apprehenditur non tantum ut maximum bonum, ſed etiam ut maxime firmum & immobile nobiſcum in æternum permanſurum. Hæreditas enim ſtabilitatem ſingularem habet tam à parte illius a quo deſcendit, qui eandem non ſolet revocare: quam à parte ejus ad quem deſcendit, quia non facile eam ſolet relinquere, 1 Reg. 21.3. 3. Quia ſic apprehenditur illa unio & commmunio quam habemus cum Deo. Quandoquidem enim Deus vivit in æternum, atque adeo non ſuccedimus in ejus hæreditatem, ſed ad eum accedimus, ut cum ipſo & in ipſo eadem fruamur. Idcirco ſic in hæreditatem iſtam creſcimus, ut Deus recte dicatur hæreditas noſtra, Pſ. 16.5, 6. Ezech. 44. 28 & nos hæreditas Dei, Deut. 3. 9. 1 Pet. 5.4. quæ mutua relatio totam noſtram felicitatem notat, Ier. 10.16. Ier. 51.19. 4. Quia hac ratione tam vocatio quam ſpes noſtra redditur maxime pretioſa & commendata, 1 Petr. 1.3,4.

Uſus 1. *Conſolationis* fidelium, adverſus omnes anguſtias quibus in hac vitâ premuntur, Gal. 4. 1,2, 3.

2. *Directionis*, quomodo ex iſta conſideratione corda noſtra excitemus ad omnes affectus, & ſtudia, quæ conveniunt talis hæreditatis expectationi.

Docum. XIII. *Beatitudinis hæreditas proprie eſt ſanctorum, & iis ſolis & omnibus convenit.*

Collig. ex v. 18. in fine.

Ratio 1. Quia hæreditas Dei proprie eſt filiorum Dei, Rom. 8. 17. Filii autem Dei ſunt illi qui acceperunt Spiritum Chriſti, Gal. 4. 6, 7. & per regenerationem ſpirituallem participes facti ſunt naturæ divinæ, 2 Pet. 1. 4. 2. Quia ſanctitatis neglectus ex merito ſuo & ſententia Dei excludit homines ab hæreditate regni Dei, Gal. 5.21. Eph. 5. 5. 3. Quia ſanctitas, quamvis non ſit cauſa meritoria gloriæ æternæ, eſt tamen cauſa diſponens, vel depoſitio ipſa, qua apti & idonei reddimur ac præparamur ad gloriam recipiendam, Col. 1.12. Ebr. 12.14 Mat. 5. Apoc. 21.27. 4. Quia ſanctitas in ſeſe habet principium & eſſentiam gloriæ. Sanctitas enim & gloria non differunt quoad eſſentiam & re ipſa, ſed ratione tantum, Eph. 1. 4.

Uſus 1. *Redargutionis*, adverſus illos, qui de beatitudine futura præſumunt, ſtudio ſanctitatis contempto & neglecto.

2. *Conſolationis*, erga omnes illos qui ſanctimoniam ſerio ſectantur: Eorum enim eſt regnum Dei.

3. *Excitationis*, ad omnem zelum in ſanctificatione noſtrâ externâ provehendâ & promovendâ; quia ſimul provehimus beatitudinem noſtram æternam.

Docum. XIV. *Una cum apprehenſione beatitudinis futura conjungenda eſt contemplatio ſupereminentis magnitudinis potentiæ Dei*, v. 19.

Ratio 1. Quia hac ſola ratione fides & ſpes noſtra ſuſtentatur in illa beatitudine credenda & expectanda, quæ iſta conſideratione ſepoſita ſuperat omnem rationem ac fidem, Rom. 4 21. 2 Tim. 1. 12. 2. Quia ex ejuſdem potentiæ conſideratione alacres reddimur ad omnia illa facienda & patienda, per quæ Deus nos deducit ad iſtius beatitudinis fruitionem, Phil. 4.13. 2 Tim. 1. 8. 3. Quia hac ratione & beati-

beatitudo illa quam speramus magis illustris apparet, & Dei nomen rite sanctificatur, dum supereminens ejus potentia ibi agnoscitur, ubi maxime elucet, 1 Pet. 3. 15.

Usus Directionis, quomodo ædificemus nosmetipsos in cognitione Dei & potentia ejus, si scil. potentiam ejus agnoscamus in omnibus operibus, ejus & magnitudinem ejus potentiæ in operibus ejus magnis, supereminentem vero magnitudinem hujus potentiæ contemplemur in supernaturalibus operibus ejus, quæ spectant ad salutem nostram.

Docum XV. *Supereminens potentia Dei, sic est apprehendenda, prout salutem fidelibus operatur.*

Collgitur ex illis verbis: *in nobis qui credimus.* Hanc autem salutem operatur: 1. In ejus principio dum efficaciter homines illuminat, convertit, vivificat & trahit ad Deum in Christo, 2 Cor. 4. 6. Matth. 19. 26. Eph. 2. 1 Ioh. 6. 44, 45. Col. 2. v. ult. 2. In ejus progressu dum promovet & conservat eos in omni bono, 2 Thes. 1. 11. 1 Pet. 1. 5. 3. In ejus perfectione, quando tam corpora quam animas reddit gloriosas, Phil. 3. 21.

Ratio 1. Quia hac sola ratione firmam ac immobilem habemus consolationem. 2. Quia sic efficaciter movemur ad Deo omnem gloriam salutis nostræ cum gratiarum actione tribuendam. 3. Quia sic fortes reddimur virtute Dei ad omnia officia præstanda.

Usus 1. *Refutationis*, adversus eos, qui salutem nostram ex arbitrio & viribus nostris suspendunt.

2. *Directionis*, ut huic potentiæ Dei semper innitentes, ejusde efficaciam magis magisque sentire & exprimere omni studio annitamur.

FINIS.